Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-356869-p0001-2

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-356869-p0002-8

# CENTRUM VIRGILIANÆ ÆNEIDOS.

*ſive*

Analyſis Libri Sexti Æneidos,

## DESCENSUM ÆNEÆ AD INFEROS, SIBYLLA CUMÆA DUCE

confectum,

*Unà cum variis monſtrorum formis, & animarum umbris, Notis & tabulari methodo,*

demonſtrans & adumbrans.

## ΠΡΑΓΜΑΤΕΙΑ

*nec Scholis Chriſtianis, nec Virgilij ſtudioſis indigna:*

Cujus adminiculo vocum emphaſes, phraſium criſes, nec non rerum inventio & diſpoſitio, pleniùs intelligi, ſingulisque membris ſinguli verſus, etiam geometrica proportione dimidiati, faciliùs & colligi memoriter, & ordine recitari poſſunt.

*Opera*

*M. JOSEPHI SEIZII, p. t. Rect. Gymnaſii Patrii Svevo-Halenſis.*

HALÆ SVEVORUM,
Sumptibus Authoris, excud. typis Johan-Reinhardus Laidig
Anno Æræ Chriſtianæ MDCLVI.

6

VIRIS

*Magnificis, Nobilibus, Ampliſſimis, Conſultiſſimis,*

# DN. JOHANNI BALTHASARO STADMANNO,

# DN. GEORGIO FRIDERICO SEUFERHELDO,

## Liberæ Imperialis Reipublicæ Suevo-Halenſis Aſſertoribus, Auctoribus, & COSS. Digniſſimis, Meritiſſimis, Quæſtoribus Ærarii Integerrimis.

*Dominis atq; Patronis ſuis Faventiſſimis, maximè venerandis,*

Felicitatem omnigenam, Obſervantiam ſummam.

P*Oſtremam promiſſi laboris ſpem anticipans,* Centrum *Virgilianæ* Æneidos Inclyto Veſtro Nomini *dedico, nec ſine gravi dedico cauſa.* Graves *enim gravia decent*, Dignos *digna. Quid autem VI. libro Æneidos gravius? quid* Vobis *dignius?* Centrum *jure voco. Eſt enim tota Æneis inſtar orbis, ſphæræ, vel circuli, à cujus extremitate cuncti, cum anteriores, tum poſteriores libri, tanquam lineæ vel ſemidiametri ducuntur ad punctum medium, quod ſuſtinet* Deſcenſus Æneæ ad Inferos. *Quæcunq; enim in libris prioribus & poſterioribus narrantur geſta vel gerenda; quicquid vel voluptatis, vel calamitatis guſtatum: quæ vel exhauſta itinerum, vel exantlanda bellorum pericula: ſexto hoc libro ſingula, vel à* Sibylla *in* Inferorum Veſtibulo, Limbo, & Tartaro *ſub variis monſtrorum formis, vel ab* Anchiſa *in* Elyſio *ſub animarum umbris monſtrata fuerunt, eo fine, ut fortiſſimus* Princeps Æneas, *ad majora natus & deſtinatus, à vitiorum delectatione, ad virtutis amorem deductus, fortunam proſperam & adverſam moderatè ferre, atq; ad veram felicitatem velis remisq; contendere diſceret. Quo nomine librum hunc, ordine quidem poſteriorem, ſed pondere primum, optimo jure* Vobis Optimatibus *nuncupo.* Vos *enim (liceat ex hoc libro* αὐτί-[illegible]*) veriori modo, quàm Atlas Olympum humeris* Remp. *geſtatis.* Vos *digniori modo, quàm Caſtor &* Pollux, Reip. *alternis vivitis annis; eo modo, quo etiam Imp. Hadriani Dux, licèt grandævus, tantùm ſeptennium ſe vixiſſe perhibebat. Et* Tibi *quidem,* Magnifice Dn. COS. STADMANNE, *gratulor* Honorem Conſularem Parentis Pii *pariter &* Juſti, *gratulor* proprium, *dignum tantis literarum & literatorum* Patronis. Tu *verò* Magnifice Dn. COS. & DIRECTOR GRAVISSIME, SEUFERHELDE, (*tacebo jam* Tua *in Remp. Merita*) Autor *mihi,* Tu Hortator *fuiſti, ut lucubrationes meas tabulares [quod nunquam cogitabam] publici juris facerem.* Te *etiam æquiſſimo Virgilianæ commentationis* Cenſore, *velim* Æneæ bella *pari tabularum & notarum operâ elaborata, modò vires & vita ſuperſint; ne dicam: ſi mihi præteritos referat Deus optimus annos. Verùm eſto aliquid prodire tenus, ſi non datur ultrà.* Veſtro *igitur* Patrocinio, PATRONI MAXIMI, *pro ſingulari* Veſtra *in rem literariam* Propenſione, *hoc quicquid eſt opellæ, commendo, meq; commendo totum: nunquam pro Incolumitate* Veſtra, *hoſtimenti vice, in vota preceſq; ceſſaturus. Valete,* PATRONI MAXIMI, Veſtræque Gloriæ, Patriæq; Saluti, *quàm diutiſſime ſuperate. Dabam Halæ Svevorum, è Muſæo. Idibus Iulij. Æra Chriſt. MDCLVI.*

Magnificæ Amplitudinis Veſtræ

*obſervantiſſimus cliens*

*M. Joſephus Seltz.*

## Encomia ab Eruditis huic Libro præ aliis impertita.

### Servius.

*Totus quidem Virgilius ſcientia plenus eſt; hic tamen liber poſſidet principatum: in eoq; dicuntur aliqua ſimpliciter, multa de hiſtoria, multa per altam ſcientiam Theologorum, Philoſophorum Ægyptiorum: adeò ut plæriq; de his ſingulis hujus libri integras ſcripſerint* πραγματείας.

### Rhodiginus.

Sextus liber, tanquam Virgilianæ doctrinæ theſaurus longè clariſſimus, mortalis naturæ continet rationem, & ſub Poëtico figmento animæ declaratur origo & qualitas.

### Modicius.

*Neq; ſeptem Homeri, neq; omnis Græcia, ſi in unum vires ſuas omnes conferat, ſextum librum Æneidos unquam adæquaverit, ſi inferorum Homerica deſcriptio cum Virgiliano conferatur, plumbum cum auro puriſſimo æquus lector collatum eſſe judicabit; & montani paſtoris tugurium, cum domo urbani hominis plena dignitatis.*

### Nascimbænus.

Anteponendus eſt hic liber cæteris ſine controverſia, in quo ſplendor revera omnigenæ doctrinæ, eruditionisque mirum in modum elucet; & iis quæ ad Rhetoricam pertinent, dicendiq; facultatem, ſi in reliquis libris copioſus eſt, & gravis, in hoc certè eſt admirandus. Doctrina libri Platonica eſt; nam ex aliquot Platonis dialogis, ex Phædone inprimis, & Axiocho; adde etiam ex Apologia, aliisque locis multis deſumpta ſunt.

### Fabius Paulinus.

*Licèt Philoſophia, Matheſis, Theologia, omnesq; illuſtres ſcientiæ, in ſingulis hujus Poëtæ libris eniteant, in uno tamen hoc multò uberiùs, & velut in propria ſede ac regno dominatur, qui omnium eſt optimus atq; pulcherrimus; de quo non indocti quidam homines ita judicarunt, ut eum dicerent tantum cæteris libris anteire, quantum ipſe Virgilius cæteros omnes poſt ſe Poëtas Latinos reliquit. In hoc ſanè ſunt omnes ornati, graves, elaboratiq; verſus, in quibus ſuccus ille & ſanguis manet incorruptus, naturalisq; ineſt, & non fucatus nitor. Incitatiùs quidem velut amnis abundans fertur, nullis tamen ſalebris, ſed ſedato quaſi alveo per tacitũ [ut de Gange dixit ipſe] decurrit, clariſſimisq; verborum luminibus omnia diſtinguit, & ſententiarum, quas neſcio unde ex abdito eruit, pondere & gravitate ſuſtentat. In hoc libro omnium laudandarum artium infinita penè vis, & materia continetur. In hoc omnis Philoſophia, & omnis inferiorum, ac cœleſtium rerum natura comprehenditur. In hoc doctrinarum omnium mira quædam latent arcana, atq; myſteria, quæ doctis tantùm viris patere conſueverunt. Quare exclamat in hoc potiſſimùm libro, ſub Sibyllæ perſona:* procul ô procul eſte profani. *Hæc igitur paucis ſunt nota: pauci ſunt, qui Maroniani carminis quaſi medullas pervideant, ut jure optimo de eo poſſimus illud uſurpare, quod de Atticis Oratoribus dixit Cicero: hujus Poëtæ vim eſſe ignotam, notam gloriam. Alterum enim omnes intelligunt, nihil hoc eſſe præſtantius: alterum pauciſſimi, quæ ſit ejus vis ac doctrina.*

### Hortensius.

Sextus hic liber extra omnem eruditionis aleam eſt poſitus. Eſt enim tanquam admirabilis Virgilianæ doctrinæ theſaurus, & reconditæ cujusdam Philoſophiæ Cornucopiæ.

# Synopsis ſive Argumentum Jac. Pontani.

CUm primùm Cumas eſt delatus Æneas, nihil duxit antiquius, quàm ut ad Sibyllam, pro eo ac
pater Anchiſes mandaverat, accederet: quò ejus ductu ad infera loca perveniret. Ingreſ-
ſus autem Dianæ lucum, in quo Dædalus fabrorum ingenioſiſſimus delubrum Phœbo con-
ſtruxerat, admirandoque artificio, & argumentis electioribus ejusdem fores cælaverat, in contem-
planda cælatura diutius immoratur: quem ſuperveniens Sibylla, ſacra jubet Apollini facere: poſt
quæ, perductis ad antrum ſuum Trojanis, enthuſiaſmum patitur, id eſt, divino quodam furore percuſ-
ſa immutatur penitus. Ejus hortatu Æneas dat ſe in preces, Phœbum, Deosque à gente Trojana ali-
eniores, adeoque vatem ipſam orans, uti tandem miſeriarum, calamitatumque modus ſit, liceatque
promiſſis in Latio gaudere ſedibus, optatamque à tot ærumnis requiem aliquando adipiſci. Latoni-
genis, Apollini puta, & ſorori Dianæ, templum, Sibyllæ cultum, ac ſacerdotes instituturum vovet.
Eam ventura prædicere aggredientem, Apollo coërcet. Pateſcunt ſpeluncæ oſtia ſive aditus: inde
voces feruntur, ex quibus Trojani diſcunt, aſperiora longè in terra ſe perlaturos, quàm adhuc in flu-
ctibus pertulerint. Bellis conflictaturos graviſſimis, ſubſidia conquiſituros, victoria demum potitu-
ros. Poſtquam in placidæ mentis ſtatum rediit vates, Æneas ab ea contendit, uti viam ſibi ad infe-
ros præmonſtrare ne gravetur: patrem quippe conventum velle, cujus juſſu, auctoritateque ad ipſam
ſe attulerit. Reſpondet, indagandam arborem: defractum ex ea ramum aureum pro munere offe-
rendum Proſerpinæ: ſepulturæ commendandum Miſenum, cujus morte claſſis funeſtata ſit. His ad
rem collatis, ire ipſum ad inferos, & redire poſſe: aliter non poſſe. Triſtes eo nuntio Trojani, de Mi-
ſeni morte, inquam, ejus cadaver inveſtigatum, ſecus littus inveniunt. Ille ſiquidem faſtidio & ſuper-
bia elatus, Deos marinos provocaverat cantu, à quibus in pœnam ſubmerſus interierat. Concla-
mant lugubriter Trojani: perſolvendis accinguntur exequiis, Ænea præfecto operarum, ſummoque
Curatore videlicet. Cum arborem illam, unde ramum peteret aureum, nimiopere Trojanus heros
aſpectare cuperet, ducibus columbis duabus prævolantibus, eidemq; inſidentibus eum reperit. Ritu
Romano funeri datur opera, cremato corpore cineres colliguntur, ſub monte tumulus excitatur, cui
remus, & tuba, more illius ſeculi uſitato (indicia nimirum artium à Miſeno in vita cultarum, à quo
etiam mons ille vocabulum obtinuit ad poſteros) ſuperimponuntur. Ad ſacrificium Æneas ſe com-
parat. Sequitur Averni lacus, quà ad inferos deſcenſus patet. Ibi hoſtias mactante Sibylla, mu-
git tellus, arborum cacumina quatiuntur, furiæ ululant. Illa nonnihil trepidantem Æneæ animum
confirmat, & ad loca illa horridula progredientem, ejus latus tegens comitatur. Per tenebras ince-
dunt. Subterraneos illos Deos Poëta invocat, quæ de plagis inferis accepit, expoſiturus. Prima
eſt deſcriptio veſtibuli, in quo varia portenta, peſtesque habitantes ordinatim referuntur. Altera A-
cherontis fluminis, & Charontis portitoris, à quo innumerabiles animæ transvehuntur. Neque ta-
men omnes, quæ ad ripam confluunt: ſed eæ tantummodò, quę quò minùs transportentur, nihil im-
pedit. Quod quidem quale ſit, Sibylla docet. In illa multitudine quosdam Æneas de ſuorum nu-
mero naufragio perditos conſpicatur, & inter hos naviculatorem Palinurum, à quo genus mortis co-
gnoſcit, & in quam de Apolline ſuſpicionem venerat, ea ſe exolvit. Hunc Palinurum, quia nec dum
ſepultus, Sibylla ad inferos pervenire non poſſe, ab interfectoribus ejus tumulum erectum, & Palinuri
nomine locum cognominatum iri aſſeverat. Viſo Ænea, Charon in iram prorumpit, virum repel-
lere ſtudet: quia ſcilicet non vivis, ſed umbris duntaxat eæ regiones permeabiles ſint. Se quidem
non neminem vivum, animo tamen invito, ac repugnante tranſvexiſſe. Verùm quia Diis nati erant,

facere

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-356869-p0006-0

facere aliter nequiviſſe. Hîc Sibylla Charontem propter gladium, quo accinctus erat Æneas, omni timore alicujus injuriæ, violentive impetus liberat: quare eò veniat, rationem affert, ramum aureum profert, cujus ille intuitu recreatus, ambos in cymbam accipit. Egreſſi in ripam, Cerberum latrantem exaudiunt, objecta offa Sibylla belluam conſopit. Ordines deinceps novem, totidem circulis diſcreti enarrantur. In primo infantium collocantur animulæ. In altero, qui falſis criminibus circumventi, capitalem ſententiam exceperunt. In tertio, qui lucis hujus tædio capti, mortiferas ſibi manus attulerunt In quarto, quos amoris inſania ad interitum perduxit. In quinto viri fortes. In ſexto ſontes, quales ſunt parricidæ, proditores, &c. ubi etiam verſantur ipſi judices, qui pœnas infligunt. In ſeptimo beatorum animæ. In octavo expiantur manes. In extremo habitant expiati. Contingit autem poſt annos mille hujuſcemodi purgatarum animarum in corpora reverſio. Deinde ſeorſim nonnullas illuſtres fœminas nominatim edit, quas ad mortem crudelis ille amor dederit. In Didone haud ſanè vulgari cum ſuavitate hæret aliquandiu. Ad virorum fortium ſedem Æneas progreditur, cum Trojanis init colloquium: præſertim cum Deiphobo, qui modum ſuæ necis docet. Poſthæc duplex iter Æneæ Sibylla oſtendit: Tartari ad ſiniſtram, ubi pro meritis ſcelerati cruciamentis ſubjiciuntur: Elyſii ad dextram, quò illum tendere cupit. Depingitur locus, indicaturque cogi ibidem improbos, tormentis ſubactos, confiteri perpetrata, dum viverent, maleficia, & ſcelera, quò confeſſi poſtmodum in Tartara devolvantur. Recluſis Tartari portis, Sibylla, quinam ibidem torqueantur, ſignificat, & inprimis de quibusdam gigantibus refert. Monetur Æneas, uti Proſerpinæ ramum aureum tradat, quem in limine affigit, ac verſus Elyſium viam carpit, cujus facies ſubjicitur. Ad Anchiſen à Muſæo deducuntur, qui filium ſumma lætitia, & lacrymis perfuſus excipit. Ille cauſas ſui adventus aperit, patrem complexu ſtringere fruſtra ſtudet. De animis ad Lethæum flumen frequentibus cauſam inquirit, & rem audit. Ducto principio à Sylvio Æneæ ex Lavinia poſthumo, poſteritas Trojanorum, uſque ad Marcellum, Octaviæ ſororis Auguſti adoleſcentem filium, recenſetur. Hîc magna pars Romanæ hiſtoriæ incluſa eſt, & interpretibus maxima evagandi occaſio. Ad extremum Æneas percepta propagatione generis ſui, rebusque futuris ſibi intellectis, unà cum virgine vate, eburnea porta emiſſus, in luminis oras revertitur.

---

## *Encomium paralipomenon M. Ant. Majoragij ſi toti Virgiliano Operi, certè huic libro ſigillatim, applicandum.*

Mihi ſanè Poëtæ laudes perſequi animꝰ nō eſt; quas certè ingenii mei tenuitas non patitur; cùm nemo prorſus tanta præditus eloquentia reperiatur, qui tam egregium authorem dignè celebrare poſſit. Qui verò Virgilium Romę primus publicè prælegerit, Quintū Cæcilium Grammaticum Epirotam, Attici Pomponii libertum, fuiſſe ſcribit Suetonius. At poſtea tantopere cultus & obſervatus fuit, ut nullus ſit tam infirmus literator, quin eum diſcipulis ſuis prælegendum cenſeat. Itaque jam vulgare factum eſt, neque magnificum admodùm habetur, Virgilium interpretari: cùm tamen tam inſignem Poëtam intelligere, ſummæ ſit eruditionis atque doctrinæ. Nos igitur (ut ſpero) tantum in lectionibus noſtris elaborabimus, ut quicunque me audierint, ipſi per ſe judicent, longè majoris eſſe negotii, Virgilianas virtutes agnoſcere, quàm vulgares illi literatores exiſtimant. Hæc Majoragius.

*Argumen-*

## *Argumenta quorundam metrica.*

POLITIANI.

*Tum pelagus relegens amiſſo præſide puppis*
*Vix tandem Euboica lachrymans potietur arena,*
*Atque ubi fata Deûm vivacis ab ore Sibyllæ*
*Hauſerit, infernas etiam deſcendet ad umbras;*
*O Pietas! maneſq́; petet per averna paternos:*
*Romanoſq́; ſuos Lethæi ad fluminis undam*
*Conferet, & gaudens magnos cognoſcet Iulos,*
*Pacificumq́; ducem, fulvo cui pulchra metallo*
*Sæcla fluent, cui preſſa gravi pede bella jacebunt.*
*His lætus porta ad ſocios evadet eburna*
*Dux Anchiſiades, Thuſcumq́; enabit ad amnem.*

MODESTINI.

*Cumas deinde venit: fert hinc reſponſa Sibyllæ.*
*Miſenum ſepelit: mons ſervat nomen humati.*
*Ramum etiam, antè Deûm placato numine, portat,*
*Et vates longæva unà deſcendit Avernum.*
*Agnoſcit Palinurum, & ibi ſolatur Eliſam.*
*Deiphobumq́; videt lacerum crudeliter ora.*
*Vmbrarum pœnas diſcit, narrante Sibylla.*
*Convenit Anchiſen penitus in valle virenti:*
*Agnoſcitq́; ſuam prolem, monſtrante parente.*
*Hæc ubi percepit, graditur, ſocioſq́; reviſit.*

ASCLEPIADII.

Sacratam Phœbo Cumarum fertur in urbem
Rex Phrygius: vatiſque petit reſponſa Sibyllæ.
Miſenum ſepelit: poſthæc adit infera regna.
Congreſſuſque patri diſcit genus omne ſuorum.
Quoque modo caſus valeat ſuperare futuros.

NASONIS.

*Ænean memorat viſentem tartara ſextus.*

ALIUD.

*Quæruntur ſexto manes, & tartara Ditis.*

ALIUD.

*Infernos Ditis manes, & regna pererrat.*

TABEL-

# TABELLA GENERALIS
## LIBRI VI. ÆNEIDOS.

**Deſcenſus Æneæ ad inferos conſtat:**

- I. Occaſione
  - 1. *Appulſu ad Cumas. Tab.* 1.
  - 2. *Progreſſu ad Templum Apollinis.* 2.
  - 3. *Ingreſſu in antrum Sibyllæ, qui conſtat*
    - 1. *antecedente cauſa.* 3.
    - 2. *inſequenti actu* 4.
    - 3. *conſequenti effectu.* 5.
- II. Conſiliis, *quorum conſtat*
  - 1. Communicatio
    - 1. *Æneæ petitione.* 6.
    - 2. *Sybyllæ inſtructione.* 7.
  - 2. Executio
    - 1. *Miſeni repertione.* 8.
    - 2. *Rami aurei inventione,* 9.
    - 3. *Miſeni humatione,* 10.
- *III.* Actu, *qui fit*
  - 1 *Præparatione, quæ eſt ſacrificij peractio.* 11.
  - 2 *Progreſſione ad ſpecum ſubterraneum.* 12.
  - 3. *Degreſſione, ubi*
    - 1 *Veſtibuli pertranſitio.* 13.
    - 2. *Acherōtis trajecto, ubi*
      - 1. *Theoria*
        - 1 *indifferens omnium.* 14.
        - 2. *differens inſepultorum*
          - 1 *indefinita.* 15.
          - 2. *definita Palinuri, ubi*
            - 1. *Æneæ compellatio.* 16
            - 2. *Palinuri reſpōſio.* 17.
            - 3. *Sibyllæ interpellatio.* (18.
      - 2. *Hodœporia ad Charontē & Cerberū.* 19.
- IV. Eventu, *qui eſt perluſtratio,*
  - 1. Limbi,
    - 1. *Puſillanimes mortui*
      - 1. *minùs principales.* 20.
      - 2. *Principalis, Dido.* 21.
    - 2. *Heroës cæſi,*
      - 1. *minùs principales.* 22.
      - 2. *principalis Deiphobus, ubi*
        - 1. *Æneæ compellatio.* 23.
        - 2. *Deiphobi reſponſio.* 24.
        - 3. *Sibyllæ interpellatio.* 25.
  - 2. Tartari, *ubi*
    - 1. *Topotheſia.* 26.
    - 2. *Theoria, ubi*
      - 1. *Iudicij forma.* 27.
      - 2. *Sontium culpa*
        - 1. *impietas in Deos.* 28.
        - 2. *iniquitas in homines.* 29.
  - 3 Elyſii, *ubi*
    - 1. *Hodœporia.* 30.
    - 2. *Theoria animarum.* 31.
    - 3. *Synodia cum*
      - 1 *Muſæo, inſigni Poëta.* 32.
      - 2. *Anchiſa, ubi*
        - 1. *Mutua Salutatio.* 33.
        - 2. *Solida inform. cuj9*
          - 1. *Propoſitio.* 34.
          - 2. *Confirmatio de*
            - 1. *Statu animæ.* 35.
            - 2. *Poſteris Æneæ*
              - 1. *Glorioſis,*
                - 1. *Albanis* 36.
                - 2. *Romanis,*
                  - 1. *Fundatoribus*
                    - 1. *Regni, ut Romulus.* 37.
                    - 2. *Imperij, ut Auguſtus.* 38.
                  - 2. *Aſſertoribus.* 39.
                  - 3. *Auctoribus,*
                    - 1. *Principalibus.* 40.
                    - 2. *minùs principalibus.* 41.
              - 2. *Luctuoſis ex Morte Marcelli, cujus narratio conſtat*
                - 1. *Impulſiva.* 42.
                - 2. *Forma.* 43.
    - 4. *Apoporia, ſeu reditus ad ſuperos.* 44.

# Libri VI. AEneidos Verſus & Notæ.

[a] *Sic fatur lachrymans, claſſique immittit* [b] *habenas,*
*Et tandem* [c] *Euboicis* [d] *Cumarum allabitur oris.*
*Obvertunt pelago proras: tum dente tenaci*
*Anchora* [e] *fundabat naves: & littora* [f] *curvæ*
[g] *Prætexunt puppes. Juvenum manus emicat ardens*
*Littus in* [h] *Heſperium: quærit pars* [i] *ſemina flammæ*
*Abſtruſa in* [k] *venis ſilicis: pars* [l] *denſa ferarum*
*Tecta rapit, ſylvas; inventaque flumina monſtrat.*
*At pius Æneas* [m] *arces, quibus altus Apollo*
*Præſidet,* [n] *horrendæque procul ſecreta* [o] *Sibyllæ,*
*Antrum immane, petit: magnam cui* [p] *mentem, animumque*
[q] *Delius inſpirat vates, aperitque futura.*

*Jam*

a) Licèt nonnulli duos priores verſus in V. libri reliquerint fine; prudenter tamen ad initium VI. referuntur: ſic enim melior eſt Poëmatis conjunctio.
b) Funes nauticos; metaph. ab equis.
c) A colonia. Nam Eubœa eſt Inſula, è cujus civitate Chalcide venerunt coloni in Italiam.
d) Lucaniæ civitas maritima apud Puteolos à Chalcidenſibus condita.
e) Eleganti metaphora fundare dicitur anchora, i. e. firmare & retinere naves, ut ſolidiùs ſtent.
f) Nonnulli quærunt hic Hypallagen: curva littora tegunt naves.
g) Metaphora à re veſtiaria.
h) Italia dicitur Heſperia ab Heſpero Atlantis fratre, qui patria pulſus in Italiam trajecit; alii ſic dictam putant, quòd ad occaſum vergat.
i) Scintillas ignis per periphraſin.
k) Meatibus; metaphora ab animatis.
l) Arbuſta, folia, ramos arborum, periphraſticè.
m) Hypallage; pro arces, altas Apollinis, i.e. templum in altiſſimo loco poſitum.
n) Venerandæ.
o) Quæ à Cumis Sibylla Cumæa dicta fuit. Ipſum autem Sibyllæ nomen ſignificat Dei conſilium, à Σιὸς Deus, lingua Æolica, & βȣλὴ conſilium; ut ſit Sibylla idem, quod Virgo fatidica ab enunciandis Deorum Conſiliis dicta. Sibyllas decem numeravit Varro; I. fuit Perſica. II. Libyca. III. Delphica. IV. Cumæa in Italia, nomine Deiphobe. V. Erythræa. VI. Samia. VII. Cumana, Amalthea nomine. VIII. Helleſpontiaca. IX. Phrygia. X. Tiburtina, Albunea dicta.
p) Eruditè mentem ab animo diſcernit; Mens enim eſt cogitationis, conſiliique ſubtilitas quædam; Animus verò eſt vitæ & voluntatis fundamentum. Mens igitur videtur actus primus Intellectûs; Animus Voluntatis.
q) A natali Inſula Delo.

# Libri VI. Æneidos
## TABELLA I. SPECIALIS.

Deſcenſus Æneæ ad inferos conſtat

- I. Occaſione, *videlicet*
  - *1. Appulſu ad Cumas, cujus*
    - 1. Antecedentia *conſtant Tranſitione, de Ænea*
      - *1. Affectu, illachrymatione ſuper caſu Palinuri.*
      - *2. Actu, miſſis habēis liberè navigat.*
      - *3. Eventu, venit ad littus Cumanum Italiæ.*
    - 2. Actus *conſtat Hypotypoſi Nautarum*
      - *1. proras mari obvertentium.*
      - *2. anchoras de prora jacientium.*
      - *3. puppes littori admoventium.*
    - 3. Conſequentia, *per diſtributionem Studii*
      - *1. Profani ſociorum,*
        - *1. in genere: ardor in littus Italicum.*
        - *2. in ſpecie, pars*
          - *1. excutiunt ignē ſilice.*
          - *2. ſuccidunt ligna in ſylvis.*
          - *3. inveniunt flumina.*
      - *2. Sacri Æneæ, ingrediendi*
        - *1. Apollinis Templum.*
        - *2. Sibyllæ antrum*
          - *1. à ſolitudine.*
          - *2. à magnitudine*
          - *3. ab aſſuetudine Apoll. inſpirātis*.*
            - * *1. ſpiritum fatidicum.*
            - *2. Mentē futuri præſciam.*
  - *2. Progreſſu ad Templum Apollinis.* } *vide ſeqq.*
  - *3. Ingreſſu in antrum Sibyllæ.* } *vide ſeqq.*
- II. Conſiliis. } *vid. ſeqq.*
- III. Actu. } *vid. ſeqq.*
- IV. Eventu. } *vid. ſeqq.*

*Jam ſubeunt [a] Triviæ lucos, atque [b] aurea tecta.*
*[c] Dædalus (ut fama eſt) fugiens [d] Minoia regna,*
*[e] Præpetibus pennis auſus ſe credere cœlo,*
*[f] Inſuetum per iter gelidus enavit ad [g] Arctos,*
*[h] Chalcidicaque levis tandem ſuper adſtitit arce;*
*Redditus his primùm terris tibi, [i] Phœbe, ſacravit*
*[k] Remigium alarum, poſuitq; immania templa.*
*In foribus lethum [l] Androgeo: tum pendere pœnas*
*Cecropidæ juſſi (miſerum) ſeptena quotannis*
*Corpora natorum: ſtat ductis ſortibus urna.*
*[m] Contra elata mari reſpondet [n] Gnoſſia tellus.*
*Hic crudelis amor tauri, ſuppoſtaque furto*
*Paſiphaë, miſtumq; genus, prolesq; biformis*
*Minotaurus ineſt, Veneris monumenta nefandæ.*
*[o] Hic labor ille domus, & inextricabilis error.*
*Magnum [p] reginæ ſed enim miſeratus amorem*
*Dædalus ipſe dolos tecti, ambagesque reſolvit,*
*Cæca regens filo veſtigia. Tu quoque magnam*
*Partẽ opere in tanto, (ſineret dolor) [q] Icare, haberes.*
*Bis conatus erat caſus effingere in auro:*
*Bis patriæ cecidere manus.*

Quin

a) Diana dicta eſt Trivia, quòd triviis præeſſet, in triviis poneretur, tresq; haberet vias, totidemq; nomina, & poteſtates; in cœlo Luna, in ſylvis Diana, apud inferos Proſerpina: unde tres facies habere fingebatur

b) Templum Apollinis magnificentiſſimè ſtructum.

c) Artifex ſubtiliſſimus à Minerva Architecturam edoctus.

d) Minos Cretæ rex fuit bellicoſiſſimus, primus imperio maris potitus.

e) Alis cera conglutinatis, ut eſt in fabula Ovidii.

f) Hominibus negatum, cùm avium ſit volare.

g) i. e. ad Septentriones: Cumæ à Creta Septentrionem ſpectant.

h) Cumarũ urbe à Chalcidenſibus condita.

i) Ex more veterum, qui vel inſtrumenta vel ſpecimina artis Deo ſacrarunt.

k) Eruditè & volatus fabulam & navigationis hiſtoriam conjungit.

l) Filii Minois, quem in certaminibus victorem invidi necarunt Athenienſes.

m) Ex adverſo ad meridiem Athenæ Cretam ſpectant.

n) Gnoſſus una celeberrimarum urbium erat Cretæ.

o) Labyrinthi deſcriptio; fuerunt & alibi Labyrinthi, teſte Plinio.

p) Ariadnes, filiæ regis Minois Theſei amore captæ.

q) Icarus Dædali filius, cereis alis calore ſolis liquefactis, in mare decidit, & nomen mari Icario fecit; hinc Poëta: *Icarus Icariis nomina fecit aquis.*

**Progreſſu *deſcribitur* Templum Apollinis:**

- I. à Subjecto *loco, in luco Dianæ.*
- II. ab Efficiente *Dædalo, cujꝰ fuga conſtat*
  - *1. Termino*
    - *1. à quo, Inſula Creta.*
    - *2. per quem. per aërem, ab*
      - *1. inſtrumentali cauſa, alis arte factis.*
      - *2. adjuncto inſueto itinere.*
    - *3. ad quem*
      - *1. generali, ad Septentriones.*
      - *2. ſpeciali ad Cumas.*
  - *2. Effecto per Apoſtrophen ad Apollinem, cui*
    - *1. conſecravit alas cereas.*
    - *2. ſtruxit ingens templum.*
- III. ab Adjũctis *monumentis*
  - 1. Athenienſibꝰ, *ut Androgei interitus miſerãdus:*
    - *1. à ſubjecto Sculpturæ, in foribus.*
    - *2. à cauſa necis, Athenienſes à Cecrope denominati.*
    - *3. ab effectu, pœna, cujus*
      - *1. materia, ſeptem*
        - *1. mares.*
        - *2. fœminæ.*
      - *2. forma, ſortitò quotannis in ſervitutem mittendæ.*
  - 2. Cretẽſibus:
    - *1. Poſitus*
      - *1. à ſubjecto, ex adverſo forium.*
      - *2. à diſtributione:*
        - *1 Paſiphaës amor deteſtandꝰ:*
          - *1. ab objecto crudeli, tauro.*
          - *2. à forma, clanculum à Dædalo ſuppoſito.*
          - *3. ab effecto, deteſtãdæ generis mixtione.*
        - *2. Minotauri partus nefandus:*
          - *1. à forma hominis & tauri.*
          - *2. à ſigno nefarii concubitus.*
        - *3. Labyrinthi error admirãdꝰ à Dædalo:*
          - *1. intricatus per exclamationem.*
          - *2. extricatus*
            - *1. ab impulſiva, cõmiſeratione Ariadnes.*
            - *2. à forma, ductu fili.*
    - *2. Ponendus, ut Icari caſꝰ deplorandus, per*
      - *1. Apoſtrophen: & tu Icare extares.*
      - *2. Pathopœiam: ſi permiſiſſet dolor.*
      - *3. Ætiologiam conatus, qui*
        - *1. iteratus ſculpendi ruinam Icari in auro.*
        - *2. fruſtratꝰ, quia dolor paternꝰ languefecit manus.*

a) Verſus dactylicus.
b) Perlegiſſent, Enallage. Pictura perinde ut ſcriptura oculis legitur.
c) Glauci filia.
d) Æneæ, regi Trojanorum reliquorum.
e) Injuges vult hoſtias, eximias, numero perfectas. In ſacris enim omnia libera & ſoluta, pura & caſta eſſe oportebat,
f) Oves bimas.
g) Non differunt ſacrificia.
h) Euboicam rupem vocat Cumanam per Antonomaſiam.
i) Synecdoche numeri certi pro incerto.

*Quin protinus [a] omnia*
*[b] Perlegerent oculis, ni jam præmiſſus Achates*
*Afforet, atque una Phœbi, Triviæque Sacerdos,*
*Deiphobe [c] Glauci; fatur quæ talia [d] regi:*
*Non hoc iſta ſibi tempus ſpectacula poſcit;*
*Nunc grege de [e] intacto ſeptem mactare juvencos*
*Præſtiterit, totidem lectas de more [f] bidentes.*
*Talibus affata Ænean, (nec ſacra [g] morantur*
*Juſſa viri) Teucros vocat alta in templa Sacerdos,*
*Exciſum [h] Euboicæ latus ingens rupis in antrum;*
*Quò lati ducunt aditus centum, oſtia [i] centum:*
*Unde ruunt totidem voces, reſponſa Sibyllæ.*

---

a) Oracula de fatis.
b) Deus ſcil. adeſt. Ellipſis.
c) Feſſum & ægrè ſpiritũ ducens.
d) Enallage numeri, pro Cor.
e) Enallage modi, pro videbatur.
f) Abſolutum tranſitivè uſurpatum.
g) Dæmonio agitata, ſpiritu correpta,

*Ventum erat ad limen, cùm virgo, poſcere [a] Fata*
*Tempus, ait: Deus, ecce [b] Deus! cui talia fanti*
*Ante fores ſubitò non vultus, non color unus,*
*Non comptæ manſere comæ; ſed pectus [c] anhelum,*
*Et rabie fera [d] corda tument: majorque [e] videri,*
*Nec [f] mortale ſonans: [g] afflata eſt numine quando*
*Jam propiore Dei. Ceſſas in vota, preceſque*

*Tros,*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-356869-p0014-4

Ingreſſus in antrum Sibyllæ conſtat:

- I. Antecedēti Cauſa, *quæ eſt Sibyllæ*
  - 1. Superventus
    - *1. ab objecto, Trojanis ſculpturæ intentis.*
    - *2. ab adjuncto*
      - *1. comite, Achate præmiſſo.*
      - *2. ſacerdotali munere, Apollinis & Dianæ.*
      - *3. nomine proprio, Deiphobe.*
      - *4. relato, filia Glauci.*
  - 2. Affatus
    - *1. ab objecto, cui loquitur, Ænea.*
    - *2. à forma*
      - *1 diſſuadet inutile ſpectaculum.*
      - *2. ſuadet utile ſacrificium, cujus materia ſeptem*
        - *1. juvenci.*
        - *2. bidētes.*
    - *3. ab effectu p̄ tranſitionē*
      - *1. dictorum, finitum Sibyllæ alloquium.*
      - *2 factorum, promptum Trojanorum obſequium.*
  - 3. Ductus *ad locum*
    - *1. Generalem, templum Apollinis.*
    - *2. Specialem, antrum Sibyllæ:*
      - *1. à ſubjecto ſitu, ad latus montis Cumani.*
      - *2. à forma, ſimilitudine antri magni.*
      - *3. ab adjuncta multitud.*
        - *1. acceſſuum.*
        - *2. oſtiorum.*
      - *4. à fine ſeu uſu, ut inde redddantur reſponſa.*
- II. Inſequenti Actu.
- III. Conſequenti Effectu.

(II–III:) *vid. ſeqq.*

Tros, ait, Ænea? ceſſas? neq; enim ante[h] dehiſcent
[i] Attonitæ magna [k] ora domus. Et talia fata
Conticuit. [l] Gelidus Teucris per dura cucurrit
Oſſa tremor, [m] fuditq́; preces Rex pectore ab imo.
Phœbe, graves Troiæ ſemper miſerate labores,
Dardana qui Paridis [n] direxti tela, manusq́ue
Corpus in [o] Æacidæ; magnas [p] obeuntia terras
Tot maria intravi duce te, penitusq́ue repoſtas
[q] Maſſylum gentes, [r] prætentaq́ue Syrtibus arva.
Jam tandem Italiæ [s] fugientis prendimus oras.
Hac Trojana tenus fuerit fortuna ſecuta.
Vos quoque [t] Pergameæ jam fas eſt parcere genti,
Diiq́; Deæq́; omnes, quib9 obſtitit Ilium, & ingens
Gloria Dardaniæ. [u] Tuq́ue ô ſanctiſſima Vates,
Præſcia venturi, da (non indebita poſco
Regna meis fatis) Latio conſidere Teucros,
Errantesq́ue Deos, agitataq́ue numina Trojæ.
Tum Phœbo & Triviæ ſolido de marmore templa
Inſtituam, [x] feſtosq́ue dies de nomine Phœbi.
Te quoq; magna manent regnis penetralia noſtris.
Hic ego namq́ue tuas [y] ſortes, arcanaq́ue fata
Dicta meæ genti ponam, lectosq́ue ſacrabo,
Alma, viros. [z] Foliis tantùm ne carmina manda:
Ne turbata volent rapidis ludibria ventis.
Ipſa canas oro. Finem dedit ore [*] loquendi.

h) Aperientur, patefient.
i) Facientis attonitos. Metonym.
k) Fores antri. Metaph.
l) Gelidum reddens corpus Metonym.
m) Metaph. à corporeo ad incorp.
n) Syncope, ut, ſuppoſta, repoſta
o) Achillis, Æaci nepotis, Pelei filii.
p) Circumdantia.
q) Maſſyla Africæ pars pro tota. Synecdoche.
r) Circumfuſa, objecta, oppoſita. Periphraſis Carthaginenſis agri,
s) Fugere, vel retrocedere apparentis.
t) Trojanæ. Antonomaſia.
u) Apoſtrophe.
x) Ludos Apollinares, quos Auguſtus inſtituit.
y) Oracula.
z) Noli ſcribere in foliis palmæ, ne illis à vento turbatis incertior hinc abeam, quàm adveni.
*) Pleonaſmus.

# TAB. IV.

Inſequens Actus eſt:

- I Sybillæ Hortatio,
  - 1. inchoata
    - 1 à ſubjecto, ad limen templi.
    - 2. à forma, cujus
      - 1 Propoſitio: tempus eſt poſcendi Oracula.
      - 2 Ratio per exclamationem ab honeſto, Numinis præſentia.
    - 3. ab adjuncto Enthuſiaſmo per diſtrib.
      - 1. Vultus multicolor.
      - 2 coma incompta.
      - 3. pectus anhelum.
      - 4. cor rabie tumidum.
      - 5. ſtatura major.
      - 6. vox non mortalis.
  - 2. iterata
    - 1. ab impulſiva afflatu Numinis propiori.
    - 2. à forma, cujus
      - 1 propoſitio: precare tandem.
      - 2. ratio ab utili: aperientur oſtia.
    - 3. ab effectu, ut
      - 1. Sibyllæ ſilentium.
      - 2. Trojanorum tremor.
      - 3 AEneæ preces.
- II. Æneæ Oratio, cujus
  - 1. Exordium captat benevolentiã à meritis Apollinis in
    - 1 commiſeratione erga Trojanos.
    - 2 interfectione Achillis per Paridem.
    - 3 conſervatione AEneæ per
      - 1. multa maria.
      - 2. Africam & Carthaginẽ.
  - 2. Narratio Status
    - 1. Præſentis: vix attigimus oram Italiæ.
    - 2. Præteriti: hactenus fortuna ſemper nos afflixit.
  - 3. Propoſitio
    - 1. ad Deos Deasq; 1. Trojanis inimicas. 2. ut tandem pareant.
    - 2. ad Sibyllam
      - 1. captando benevolentiam
        - 1. ab officij ſanctitate.
        - 2. à dono prophetiæ.
      - 2. rogando firmam in Latio ſedem pro
        - 1. Civibus.
        - 2. Laribus.
  - 4. Confirmatio
    - 1. ab honeſto, quia fatis debetur.
    - 2. ab utili, promittit
      - 1. Phœbo & Dianæ
        - 1. Templa.
        - 2. Feſta.
      - 2. Sibyllæ
        - 1. adytorũ cõſecrationẽ.
        - 2. oraculorum reſervationem.
        - 3. cuſtodum conſtitutionem.
    - 3. à facili, per
      - 1. ἄρσιν, cujus
        - 1. propoſitio: noli carmina foliis mandare.
        - 2. ratio: ne disturbentur ventis.
      - 2. θέσιν, ſed ore edito oracula.
  - 5. Clauſula abrupta ſilentio AEneæ.

At Phœbi nondum patiens [a]immanis in antro
[b]Bacchatur vates, magnum ſi pectore poſſit
[c]Excuſſiſſe Deum: tantò magis ille fatigat
Os [d]rabidũ, fera corda domans, fingitq; premendo.
Oſtia jamque domus patuere ingentia [e]centum
Sponte ſua, vatisque ferunt reſponſa per auras.
O tandem magnis pelagi defuncte periclis!
Sed [f]terra graviora manent: in regna [g]Lavini
Dardanidæ venient (mitte hanc de pectore curam)
Sed non & veniſſe volent: bella, horrida [h]bella,
Et Tybrim multo ſpumantem ſanguine [i]cerno.
Non Simois tibi, nec Xanthus, nec Dorica caſtra
Defuerint: alius Latio jam partus Achilles,
[k]Natus & ipſe Dea: nec Teucris [l]addita Juno
Vſquam aberit: cum tu ſupplex in rebus egenis,
Quas gentes [m]Italûm, aut quas nõ [n]oraveris urbes?
[o]Cauſa mali tanti conjux iterum hoſpita Teucris,
[p]Externique iterum thalami.
Tu ne cede malis. ſed contra audentior ito,
[q]Quàm tua te fortuna ſinet. Via prima ſalutis,
Quod minimè reris, [r]Grajâ pandetur ab urbe.
Talibus ex adyto dictis Cumæa Sibylla
Horrendas canit ambages, antroque [s]remugit,
Obſcuris vera involvens: ea [t]frena furenti
Concutit, & ſtimulos ſub pectore vertit Apollo.
Vt pri-

a) Horrẽda, furens, inſana
b) Bacchantis more furit.
c) Enallage temporis.
d) Metaph. ab animantibus.
e) Numerus certus pro incerto.
f) Per terram, vel in terra.
g) Alii habent Latini.
h) Turbarum magnitudinem repetitione vocis exaggerat.
i) Vates futura, ut præſentia videt.
k) Turn⁹ Dauni ex Nympha Venilia filius.
l) Infeſta, affixa ad perſequendum.
m) Syncope.
n) Enallage modi, pro orabis
o) Latin⁹ Laviniam Turno deſponſam, prodigiis territus, Æneæ dare coactus fuit; quod ægrè ferens Turnus, Æneam & Latinum petiit bello, in quo Turnus ab Ænea occiſus eſt.
p) Nam & priùs Helena externa Trojani belli cauſa fuit.
q) Aliis quà.
r) Pallanteo, Evandri Arcadis urbe, unde Æneæ prima auxilia adverſus hoſtes profecta ſunt.
s) Metaphora à bove ad hominem.
t) Et ſtimulos adhibet furoris ad vaticinium, & frenis temperat os ad ſilentium. Metaphora continuata.

**Conſequens effectus eſt Apollinis Oraculum, cujus**

- I. Antecedentia
  - 1. *Sibyllæ geſtus,*
    - 1. *Phœbo reluctatur.*
    - 2. *in antro bacchatur.*
    - 3. *Apollinem excutere conatur.*
  - 2. *Apollinis impetus, quo*
    - 1. *eam magis magisq́; fatigat.*
    - 2. *ejus rabiem domat.*
    - 3. *ejus mentem format.*
  - 3. *Antri multi patens aditus.*
  - 4. *Reſponſi auditus.*
- II. Forma
  - 1. *Captatio benevolentiæ ab Æneæ magnanimitate in exhauſtis periculis pelagi.*
  - 2. *Propoſitio: te graviora manent in terris pericula.*
  - 3. *Confirmatio à difficili,*
    - 1. *Protaſis*
      - 1. *Trojani venient in Italiam.*
      - 2. *noli eſſe eapropter ſollicitus.*
      - 3. *ſed optabunt non veniſſe.*
    - 2. *Ratio*
      - 1. *à bellorum magnitudine.*
      - 2. *à Tyberis ſanguine.*
    - 3. *Approbatio per diſtributionem:*
      - 1. *pro Simoënte & Xantho, erit Tiberis & Numicus.*
      - 2. *pro caſtris Græcis, Latina.*
      - 3. *pro Achille Turnus, Dea quoq́; natus.*
    - 4. *Expolitio*
      - 1. *à Junonis odio.*
      - 2. *à petendo externorum auxilio.*
      - 3. *à cauſa belli, quæ*
        - 1. *proponitur: Conjugium Laviniæ.*
        - 2. *illuſtratur comparatione Helenæ.*
  - 4. *Complexio conſtat exhortatione, cujus*
    - 1. *Propoſitio: noli ſuccumbere, ſed contra audentior ito.*
    - 2. *Ratio: quia primum auxilium veniet ab urbe Græca.*
- III. Conſequens
  - 1. *Oraculi redditi*
    - 1. *ambiguitas.*
    - 2. *obſcuritas.*
  - 2. *Apollinis impetus per expolitionem*
    - 1. *frena furenti concutit.*
    - 2. *ſtimulos ſub pectore vertit.*

*Ut primùm[a] ceſſit furor, & rabida[b] ora quierunt,*
*Incipit Æneas heros: non ulla laborum,*
*O virgo,[c] nova mî facies, inopinave ſurgit:*
*Omnia[d] præcepi, atque animo mecum ante[e] peregi.*
*Unum oro, (quando[f] hic inferni janua regis*
*Dicitur, & tenebroſa palus Acheronte refuſo)*
*Ire ad conſpectum chari genitoris, & ora*
*Contingat: doceas iter, & ſacra[g] oſtia pandas.*
*Illum ego per flammas, &[h] mille ſequentia tela*
*Eripui his humeris, medioque ex[i] hoſte recepi:*
*Ille meum comitatus iter, maria omnia mecum,*
*Atque omnes pelagique[k] minas, cœlique ferebat*
*Invalidus,[l] vires ultra[m] ſortemque ſenectæ.*
*Quin, ut te ſupplex peterem, & tua[n] limina adirem,*
*Idem orans mandata dabat. Natique, patriſque,*
*[o] Alma, precor miſerere; potes namque omnia: nec te*
*Nequicquam[p] lucis[q] Hecate præfecit Avernis.*
*Si potuit manes arceſſere conjugis Orpheus,*
*Threïcia fretus cithara, fidibuſque canoris:*
*Si fratrem[r] Pollux alterna morte redemit,*
*Itque reditque viam toties: quid[s] Theſea? magnum*
*Quid memorem[t] Alciden? &[u] mî genus ab Jove ſumo,*
*Talibus orabat dictis,[x] araſque tenebat.*

a) Cæpit imminui.
b) Enallage numeri.
c) Nam partim ab Heleno, partim à patre acceperat gerenda. Sicq; tela prævisa minus feriebant Æneam.
d) Ante cepi & cogitatione præveni.
e) Revolvi.
f) Hic innui videtur antrum Sibyllæ juxta Avernum lacũ, in quem reſtagnare credebatur Acheron propter ſulphureas mephites, cavernas, & calidas aquas.
g) Ditis.
h) Numer⁹ certus pro incerto.
i) Synecdoche, pro hoſtibus.
k) Tempeſtates & procellas.
l) Anaſtrophe.
m) Sors ſenectæ quies eſt & otium, ſicut pueritiæ ludus.
n) Domũ aut antrum, Synecd.
o) Sancta, veneranda.
p) Lucos vocant per antiphraſin ſylvas obſcuras & opacas, quæ longo annorum ſpatio nunquam cæſæ fuerunt.
q) Antonomaſia, pro Proſerpina.
r) Pollux à Jove immortalis, Caſtor à Tyndaro mortalis ex Læda geniti, ob mutuam concordiam impetrarunt, ut alternis viverent.
s) Qui ad inferos deſcendit cũ Pirithoo rapturus Proſerpinam.
t) Qui deſcendit Cerberum ab inferis tracturus.
u) Synæreſis.
x) Olim precantes, jurantes, vota concipientes aras tenebant.

---

*Tunc ſic orſa loqui vates: Sate ſanguine divûm,*
*Tros Anchiſiade: facilis deſcenſus[a] Averni;*
*Noctes atque dies patet atri janua Ditis:*
*Sed revocare gradum, ſuperaſque evadere ad auras,*
*Hoc*

a) Ad inferos per Synecdochen. Eſt enim Avernus lacus apud inferos.
b) Si ethicè fabulam hanc interpretamur, ex immani vitiorum barathro non fa-

- Conſilia deſcenſus *conſtant*
  - I. Communicatione, *& hæc*
    - 1. Æneæ petitione, *cujus*
      - 1. Occaſio *per expolitionem, poſtquam Sibyllæ*
        - *1. mens ſana reſtituta.*
        - *2. Spiritus fanaticus excuſſus.*
      - 2. Forma, *conſtat:*
        - *1. Captatione benevolentiæ,*
          - *1. à perſona*
            - *1. vatis, quam vocat virginem.*
            - *2. ſua, v. periculorum*
              - *1. aſſuetudine.*
              - *2. præcognitione.*
          - *2. à reipſa, occaſione infernalis*
            - *1. portæ Plutonis.*
            - *2. lacus Acherontis.*
        - *2. Propoſitione, qua petit*
          - *1. Patris congreſſum.*
          - *2. Sibyllæ comitatum & ductum.*
        - *3. Narratione, qua exponit parentis*
          - *1. Periculum,*
            - *1. ab objecto*
              - *1. igne.*
              - *2. hoſte.*
            - *2. ab oppoſita ſua pietate, qua humeris eripuit eum.*
          - *2. Comitatum,*
            - *1. à ſubjecto, per omnia maria.*
            - *2. ab adjuncta tolerantia, cujus*
              - *1. objectum,*
                - *1 procellæ.*
                - *2 tẽpeſtates*
              - *2. oppoſita imbecillis ſenectus.*
          - *3. Mandatum, quo juſſus*
            - *1. ſupplex petere Sibyllam.*
            - *2. antrum ejus adire.*
        - *4. Confirmatione,*
          - *1. ab honeſto: æquum eſt miſereri tanti parentis & (nati.*
          - *2. à facili, cujus*
            - *1. propoſitio: omnia potes.*
            - *2. Ratio: nam Proſerpina præfecit te lucis.*
          - *3. à cõparatũ p*
            - *1. Protaſin, in cauſa,*
              - *1. honeſta ſi*
                - *1. Orpheus potuit vocare* *
                  - * *1. manes conjugis.*
                  - *2. pulſu citharæ.*
                - *2. Caſtor & Pollux alternis vivunt.*
              - *2. inhoneſta*
                - *1. Theſei.*
                - *2. Herculis.*
            - *2. Apodoſin: ergo & mihi licet per divi- (nitatem generis.*
      - 3. Adjunctus geſtus, *inter orandum aras tenuit.*
    - 2. Sibyllæ inſtructione. *Vid. ſeq.*
  - II. Executione, *Vid. ſeqq.*

[b] *Hoc opus, hic labor! pauci, quos æquus amavit*
*Jupiter, aut ardens evexit ad æthera virtus,*
*Dis geniti, potuere: tenent media omnia* [c] *ſylvæ;*
[d] *Cocytusque ſinu labens circumfluit atro.*
*Quod ſi tantus amor menti, ſi tanta cupido eſt,*
[e] *Bis Stygios innare lacus, bis nigra videre*
*Tartara, & inſano juvat indulgere labori:*
*Accipe, quæ peragenda prius. Latet arbore opaca*
*Aureus & foliis, & lento vimine* [f] *ramus,*
[g] *Junoni infernæ dictus ſacer: hunc tegit omnis*
*Lucus, & obſcuris claudunt convallibus umbræ.*
*Sed non antè datur telluris* [h] *operta ſubire,*
*Auricomos quàm quis decerpſerit arbore* [i] *fœtus.*
*Hoc ſibi pulchra ſuum ferri Proſerpina munus*
*Inſtituit: primo avulſo non deficit alter*
*Aureus, & ſimili frondeſcit virga metallo.*
*Ergò altè veſtiga oculis, & ritè repertum*
*Carpe manu; namq; ipſe volens facilisq; ſequetur.*
*Si te Fata vocant:* [k] *aliter non viribus ullis*
*Vincere, nec duro poteris convellere ferro.*
*Præterea jacet exanimum tibi corpus amici,*
*(Heu neſcis) totamque inceſtat funere claſſem,*
*Dum conſulta petis, noſtroque in limine* [m] *pendes:*
*Sedibus hunc refer antè ſuis, & conde ſepulchro.*
*Duc* [n] *nigras pecudes: ea prima* [o] *piacula ſunto.*
*Sic demum lucos Stygios, regna invia vivis*
*Aſpicies. Dixit, preſſoque* [p] *obmutuit ore.*

*Æneas*

cœlò emergimus. Si myſticè & Platonicè, gravatur divina animi particula terrena corporis mole, opprimitur à ſenſu ratio; ita ut ad virtutem, rerum cognitionem & veritatis indagationem adſpirent pauci, quibus vel benignitate Deorum, vel eximiâ virtute, vel divino ingenio, datum eſt aureum ſtudii ramum carpere, & prudentiâ duce ad ſum̃um contendere.

c) Per ſylvas & lucos mythologi notant corporum fœdam contagionem, qua oppreſſi nihil ſentim⁹, & à veritatis cognitione arcemur.

d) Cocytum interpretantur luctum perpetuum, animiq; perturbationem.

e) Semel viv⁹, deinde mortuus.

f) Per aureum ramum prudẽtia intelligitur, qua nihil nõ, quantumvis arduum & difficile, confici poteſt.

g) Periphraſis Proſerpinæ.

h) Occulta terræ & inferorum adyta.

i) Metaph. ab animali.

k) Abſq; ſit gratia & auxilium divinum, in caſſum intercidunt humani conatus.

l) Miſeni cadaver.

n) Suſpenſus hæres, vel moraris.

n) In ceremoniis ſepulchralibus hoſtiæ furvæ & diis inferis & mortuis conveniunt, ut triſtes & luctum repræſentantes.

o) Sacrificia expiatoria, quibus animæ expurgari credebantur.

p) Pleonaſmus.

## TAB. VII.

**Sibyllæ inſtructio conſtat:**

- I. Exordio, *quo captatur*
  - *1. Benevolentia, à familia Ænea*
    - *1 divina.*
    - *2. illuſtri.*
  - *2. Attentio à contrariis*
    - *1 facilitate deſcenſus,*
      - *1. à ſubjecto termino ad quem avernum.*
      - *2 à cauſa, janua ſemper patente.*
    - *2. difficultate reditus,*
      - *1. propoſitio per epexegeſin.*
      - *2. ratio ab*
        - *1 exemplorum paucitate ut ſunt:*
          - *1 à Jove dilecti.*
          - *2. virtute præditi.*
          - *3. Diis geniti.*
        - *2. obſtaculorum varietate ut infernales*
          - *1. luci.*
          - *2. lacus.*
  - *3 Docilitas promiſſione mediorum*
    - *1. ab impulſiva deſiderio Æneæ, per*
      - *1. interpretationem: amor, cupido.*
      - *2. expolitionem*
        - *1. ſubjectorum,*
          - *1. Stygii lacus.*
          - *2 tartarorum.*
        - *2. adjuncti, laboris magni.*
    - *2. à diſtributione agendorum ante deſcenſum.*
- II. Duplici præcepto:
  - 1. Rami *inventio, ubi*
    - 1. Narratio *deſcribit ramum*
      - *1. à loco ſuper arbore opaca.*
      - *2. à materia foliis & vimine aureus.*
      - *3. à fine proſerpinæ ſacer.*
      - *4. ab adjuncta difficultate inveniendi per tenebras.*
    - 2. Propoſitio *hypothetica*
      - *1 antecedens: ſi vis vivus deſcendere ad inferos.*
      - *2 conſequens: decerpendus eſt tibi ramus aureus.*
    - 3. Ratio
      - *1. ab honeſto quia proſerpina eo delectatur.*
      - *2. à facili per occupationis*
        - *1. objectionem: quid ſi jam avulſus eſt.*
        - *2 ſubjectionem: ſubinde ſubnaſcitur alius.*
    - 4. Complexio
      - *1 propoſitio jubet*
        - *1 inveſtigare diligenter.*
        - *2. decerpere decenter.*
      - *2 ratio, nam Fatis*
        - *1 volentibus, facilè decerpes.*
        - *2. nolentibus, decerpes neq; viribus neq; ferro.*
  - 2. Miſeni *humatio, ubi*
    - *1. narratio pathetica impulſivæ, quia*
      - *1. jacet inſepultus amicus.*
      - *2. polluit funere claſſem.*
    - *2. propoſitio*
      - *1. ab adjuncto tempore: dum adhuc es in loco.*
      - *2. à forma per expolitionē, refer ſedibꝰ, conde ſepulchro.*
      - *3. ab adjuncto Sacrificio, cujus materia nigræ pecudes.*
    - *3. ratio, ab honeſto, quia talia piacula inferis conveniunt.*
- III. Epilogo, *qui conſtat*
  - *1 promiſſione facillimi deſcenſus.*
  - *2. adjuncto Sibyllæ ſilentio.*

Æneas mœſto defixus lumina vultu
Ingreditur linquens antrum, [a] cæcosque volutat
Eventus animo ſecum: cui fidus Achates
It comes, & paribus [b] curis veſtigia figit.
Multa inter ſe vario ſermone [c] ſerebant,
Quem ſociũ exanimum vates, quod corpus humandũ
Diceret. Atque illi Miſenum in littore ſicco,
Ut venere, vident [d] indigna morte peremptum
Miſenum [e] Æoliden, quo non præſtantior alter,
[f] Ære ciere viros, [g] Martemque [h] accendere cantu.
Hectoris hic magni fuerat comes, Hectora [i] circum
Et [k] lituo pugnas inſignis obibat, & haſta.
Poſtquam illum victor vita ſpoliavit Achilles,
Dardanio Æneæ ſeſe fortiſſimus heros
Addiderat ſocium, non [l] inferiora ſequutus.
Sed tum, fortè cava dum perſonat æquora [m] concha
[n] Demens, & cantu vocat in certamina [o] Divos,
[p] Æmulus exceptum Triton (ſi credere dignum eſt)
Inter ſaxa virum ſpumoſa immerſerat unda.
Ergo [q] omnes magno circum clamore fremebant;
Præcipuè pius Æneas. Tum juſſa Sibyllæ,
Haud mora, feſtinant flentes, [r] aramq́; ſepulchri
Congerere [s] arboribus, [t] cœloq́; educere certant.
[u] Itur in antiquam ſylvam, [x] ſtabula alta ferarum:
[y] Procumbunt piceæ, ſonat icta ſecuribus ilex:
Fraxineæq́; trabes, cuneis & fiſſile robur
Scinditur: advolvunt ingentes montibus ornos.
Nec non Æneas, opera inter talia [z] primus
Hortatur ſocios, paribusq́; accingitur armis.

a) Incertos, ignotos & dubios caſus.
b) Alludit ad nomen Achatis, q̃d deducitur ἀπὸ τῦ ἄχυς, à ſollicitudine, quę ſummatum & principũ perpetua comes eſt
c) Alii ferebant. Alludit ad etymon vocis ſermo, à ſerendis vel conſerendis verbis.
d) Non reſpondente meritis, arti & virtuti ejus; aut quia exceptus inſidiis ab eo, quem æmulabantur; aut quia anima in aquis extinguebatur, quod genus mortis abominantur veteres.
e) Æoli nepotem.
f) Tuba aut lituo. Metonym.
g) Mortem pro pręlio. Meton.
h) Accendere pro excitare.
i) Anaſtrophe. (Metaph
k) Lituus propriè buccinæ genus incurvũ, ſive tuba incurva eſt, gracilem ſonũ edens.
l) Non inferiorem laude virũ, neq; virtute neq; laude Hectori ſecundum, Fatis etiam ſuperiorem.
m) Tubæ periphraſis à Conchæ marinæ ſimilitudine.
n) Obliquè coarguit multa in bello vana geri, & inanem gloriam, jactantiamq; mortales plùs quàm veram virtutem ſectari.
o) Tritonẽ Neptuni tubicinẽ, concha pro tuba uti ſolitum
p) Ejusdem artis peritus, quales ferè ſemper mutuo odio flagrabant
q) Indigniſſimè ejus mortem ferebant, quaſi iraſcentes Diis, quòd tam fortem, neceſſarium ſibi, tantaq; artis excellentia præditum virum morte abſumpſerat.
r) Pyram in modũ aræ lignis conſtrui ſolitam. s) Ellipſis, pro ex arboribus. t) In cœlum, hypbolicè.
u) Hypotyp. excidentiũ arbores. x) Metaph. ſylvæ dicuntur ſtabula ferarum. y) Piceæ, tædæq; reſina pingues, fraxini. orniq; funerib⁹ adhibebantur, quò clariùs & luculentiùs arderent rogi. z) Exemplo prælucens aliis accingitur inſtrumentis, ſecuri, cuneis, & ſimilib⁹, ut particeps operis adjuvaret ſocios.

Atq;

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-356869-p0024-0

## TAB. VIII.

Executio conſiliorum conſtat

- I. Miſeni repertione, cujus
  - 1. Occaſio eſt Æneæ digreſſio, ubi
    - 1. geſtus externus, triſtis vultus.
    - 2. terminus à quo, ex antro Sibyllæ.
    - 3. affectus internus, ſollicitudo animi.
    - 4. comitatus Achatis, qui comes eſt
      - 1. itineris.
      - 2. curarum.
    - 5. dialogus à materia
      - 1. indefinita, vario ſermone.
      - 2. definita, quisnam eſſet amicus inſepultus.
  - 2. Actus per
    - 1. pathologiam
      - 1. à ſubjecto loco, in littore ſicco.
      - 2. à genere mortis indigno.
    - 2. proſopographiam:
      - 1. ab initio ſeu familia Æoli.
      - 2. ab officio tubicinis per expolitionem.
      - 3. à ſervitio
        - 1. priori,
          - 1. à ſubjecto, Hectore magno.
          - 2. ab inſtrumento, tuba & haſta.
        - 2. poſteriori
          - 1. ab impulſiva, cæde Hectoris.
          - 2. à ſubjecto, Ænea.
          - 3. ab adjuncta paritate Æneæ cũ Hectore
      - 4. ab exitio cujus
        - 1. occaſio eſt cantus tubæ
          - 1. à ſubjecto loco, ꝑ æquora.
          - 2. à fine, ut provocaret Tritonas.
        - 2. efficiens, Triton.
        - 3. forma, ſubmerſio.
        - 4. effectus, fremitus
          - 1. Trojanorum.
          - 2. Æneæ.
  - 3. Eventus ſepulturæ præparatio cujus
    - 1. Impulſiva eſt juſſus Sibyllæ.
    - 2. Adjuncta celeritas & fletus.
    - 3. Inſtrumentalis, Pyra
      - 1. à forma aræ.
      - 2. à materia, ex arboribus.
      - 3. ab adjuncta altitudine.
    - 4. Efficiens
      - 1. minus princeps, Trojani, quorum deſcribitur lignatio
        - 1. à ſubjecta ſylva ꝑ expolitionẽ
        - 2. à diſtributione arborum, ut
          - 1. picea.
          - 2. ilex.
          - 3. fraxinus.
          - 4. robur.
          - 5. ornus.
      - 2. principalis, Æneas, cui tribuitur
        - 1. ſociorum hortatio.
        - 2. laborum participatio.
- II. Rami inventione.
- III. Miſeni humatione.

vid. ſeqq.

*Atque hæc ipſe ſuo triſti cùm corde volutat,*
*Aſpectans ſylvam immenſam, & ſic ore precatur:*
[a] *Si nunc ſe nobis ille aureus arbore ramus*
*Oſtendat nemore in tanto: quando omnia verè*
*Heu nimium de te vates,* [b] *Miſene, loquuta eſt.*
*Vix ea fatus erat,* [c] *geminæ cum* [d] *forte columbæ*
*Ipſa ſub* [e] *ora viri cœlo venere volantes,*
*Et viridi ſedere ſolo; tum maximus heros*
[f] *Maternas agnoſcit aves, lætusque precatur:*
*Eſte duces, ô ſi qua via eſt, curſumque per auras*
*Dirigite in lucos, ubi pinguem dives opacat*
*Ramus humum: tuque ô dubiis ne defice rebus,*
*Alma parens. Sic effatus* [g] *veſtigia preſſit,*
*Obſervans quæ ſigna ferant, quò tendere pergant.*
[h] *Paſcentes illæ tantum* [i] *prodire volando,*
*Quantum* [k] *acie poſſent oculi ſervare ſequentum.*
*Inde ubi venere ad fauces graveolentis Averni,*
*Tollunt ſe celeres, liquidumque per aëra lapſæ*
*Sedibus optatis geminæ ſuper arbore* [l] *ſidunt:*
*Diſcolor unde auri per ramos aura refulſit:*
*Quale ſolet ſylvis brumali frigore* [m] *viſcum*
*Fronde virere nova, quod non ſua ſeminat arbos,*
*Et croceo* [n] *fœtu teretes circundare truncos:*
*Talis erat ſpecies auri frondentis opaca*
*Ilice: ſic leni* [o] *crepitabat bractea vento.*
[p] *Corripit ex templo Æneas, avidusque refringit*
*Cunctantem, & vatis portat ſub tecta Sibyllæ.*

*Nec*

a) Optantis: ô ſi, utinam.

b) Apoſtrophe.

c) Per geminas columbas myſticè duas alas animæ deſignari volunt, virtutem contemplativam & moralem, quæ ad aureum ramum ſapientiæ à divinarum rerum amore mittuntur.

d) Quaſi à matre Venere miſſæ; ſunt enim columbæ propter fœcunditatem in Veneris tutela.

e) Enallage numeri, id eſt, ſub conſpectum.

f) Veneri ſacras.

g) Subſiſtit. Captantes auguria ſtare aut ſedere immobiles ſolebant.

h) Optimum augurium, quia paſcebant.

i) Enallage modi.

k) Metaphora.

l) Subſidunt.

m) Fruticem intelligit, qui ex turdorum potiſſimum fæce ſuper arborum ramis delapſa, & à ſole cum humiditate fervefacta, naſcitur.

n) Metaphora pro fructu

o) Conflictantium literarum crepitu bracteæ ventis agitatæ ſonus accomodatus, ut non legere, ſed audire rem videaris,

p) Vehementiam, ſedulitatẽ, aviditatem & celeritatem in obeundo negotio oſtendit.

Rami inventio conſtat:

- I. Occaſione, *Æneæ voto, ubi*
  - *1. Adjuncta*
    - *1. triſtis cogitatio.*
    - *2. ſylvæ aſpectio.*
  - *2. Forma, cujus*
    - *1. propoſitio: utinam aureus ramus hic ſeſe oſtendat.*
    - *2. ratio ab honeſto, veritate oraculi de Miſeno per apoſtrophen patheticam.*
  - *3. Effectum, advolatus columbarum*
    - *1. à numero binario.*
    - *2. à termino*
      - *1. ad quem, Æneæ conſpectum.*
      - *2. à quo, de cœlo.*
    - *3. à ſitu & loco, ſubſedere in terra graminoſa.*
- II. Cauſa,
  - *1. principali, quæ Æneæ precatio*
    - *1. ab impulſiva, læta agnitione columbarum Veneri ſacrarum.*
    - *2. ab objecto, v.*
      - *1. columbis, ubi*
        - *1 propoſitio petitoria: eſte mihi duces.*
        - *2. ratio*
          - *1. à facili, quòd facilè poſſent volare per auras in lucos.*
          - *2. ab utili ſeu fine, ad oſtendendum ramum.*
      - *2. Venere, ubi*
        - *1. propoſitio: ne deſere me.*
        - *2. ratio, à neceſſario, quia ſum in rebus dubiis.*
    - *3. ab adjuncto geſtu qui eſt*
      - *1. veſtigiorum preſſio.*
      - *2. ſignorum & volatus obſervatio.*
  - *2. minꝰ principali, columbarum ductu, qui fit*
    - *1. provolando, ubi terminus*
      - *1. per quem eſt intervallum, quantum viſus aſſequi poteſt.*
      - *2. ad quem fauces Averni.*
    - *2. ſubſidendo*
      - *1. ab adjuncta celeritate in demiſſione.*
      - *2. à ſubjecto loco, ſuper arbore opaca.*
- III. Actu, *qui*
  - *1. narratur ab adjuncto fulgore auri per ramos, tanquam ſigno.*
  - *2. amplificatur per comparationem, cujus*
    - *1. Protaſis à Viſci*
      - *1. flore, adjuncto tempore brumali.*
      - *2. cauſa aliena.*
      - *3. adjuncto colore croceo.*
    - *2. Apodoſis à Rami*
      - *1. adjuncto fulgore.*
      - *2. cauſa æquivoca ilice.*
      - *3. effecto, crepitatione à vento.*
- IV. Eventu, *qui eſt Rami*
  - *1. ſubita correptio.*
  - *2. avida fractio.*
  - *3. lætabunda ad Sibyllam deportatio.*

Nec minus interea Miſenum in littore Teucri
Flebant, & [a] cineri ingrato ſuprema ferebant.
Principio pinguem tædis, & robore ſecto
Ingentem ſtruxêre [b] pyram: cui frondibus [c] atris
Intexunt latera, & ferales [d] ante cupreſſos
Conſtituunt: decorantque ſuper fulgentibus [e] armis:
Pars [f] calidos latices & ahena undantia flammis
Expediunt, corpusque lavant [g] frigentis, & ungunt.
Fit [h] gemitus: tum membra [i] toro defleta reponunt,
Purpureasque ſuper [k] veſtes, velamina nota
Conjiciunt: pars ingenti ſubiere pheretra,
Triſte miniſterium: & ſubjectam more [l] parentum
[m] Averſi tenuere facem: congeſta cremantur
Thurea dona, [n] dapes, fuſo crateres olivo.
Poſtquam [o] collapſi cineres, & flamma quievit:
Reliquias vino & [p] bibulam lavere favillam:
Oſſaque lecta [q] cado texit Chorineus aheno.
Idem ter ſocios [r] pura circuntulit unda,
Spargens rore levi, & [s] ramo felicis olivæ:
Luſtravitque viros, dixitque [t] noviſſima verba.
At pius Æneas ingenti mole ſepulchrum
Imponit, ſuaque arma viro, [u] remumque, tubamque,
Monte ſub [x] aërio, qui nunc Miſenus ab illo
Dicitur, æternumq; tenet per ſecula nomen.

His

a) Funeri minus grato amicis triſte miniſteriū exequentib.

b) Apparatus mortuorum funus dicitur; extructio lignorū rogus; ſubjecto ignis, pyra: crematio cadaveris, buſtum: locus, uſtrina: operis conſtructio, ſepulchrum: inſcriptum nomen & memoria, monumentum.

c) Funereis, feralibus, viroris in atrum vergentis.

d) Ab anteriore parte.

e) Cum viris magnis unâ cremabantur arma, veſtes, equi, canes, & quę in vita erāt chariſſima: apud Indos etiam-num uxor amātiſſima. Mandeslovius in Oleario.

f) Calida ablui & per intervalla inclamari ſolebant, ꝑ mortuis compoſiti, ne fortè lateret vitalis ſpirit⁹ obſtructus, adeoq́ue vivi cremarentur.

g) Mortui. Calore enim vitali pulſo, quia ſpiritûs habetur ſedes, friget corpus: unde per Metonym. mors dicitur frigida, pallida.

h) Hæc deflendi mortuos conſuetudo etiam adhuc in Gallia ſervari dicitur, ubi plangore & evellendis capillis tā ſunt horrendæ præficæ, ut omnium ora in ſe convertant: viget etiam mos hic in Creta.

i) Pheretro, quod unâ cum cadavere cremabatur.

k) Viris illuſtribus veſtes, quibus vivi utebantur, injectæ, purpureæ, prætextæ, paludamenta, & quæ in pretio habuerant alia.

l) Propinquiorib⁹ enim virilis ſexus hoc dabatur officiū.

m) Injecturi facem in rogum ſe avertebant, quò arguerent, invitos id ſe facere.

n) Epulæ, quibus mortuo parentatum erat.

o) Aptiſſimo verbo uſus eſt, quod dicitur in unum acervum lapſi, ut in urnam conferri poſſent.

p) Pronam & proclivem ad exſorbendū vinum.

q) Urna ærea: quandoq; aurea.

r) Aqua luſtrali ter aſpergebat.

s) Aſpergillo oleæ.

t) Ilicet. Quod extremum in ſacrificiis dici ſolebat: inde corpore rogo impoſito, ter Vale conclamare mos erat.

u) Lorum quod continebat tubam: vel ut alii, inſignia remigis & tubicinis.

x) Alto, Qui etiam ad hunc diem retinet nomē, & vulgo dicitur Monte Miſeno, & Capo Miſeno.

**Miſeni humatio perſicitur ſtudio:**

- I. indefinito, *Trojanorum omnium;*
  - 1. *ab* adjuncto *tempore, interea dum Æneas ramum invenit.*
  - 2. à ſubjecto *loco, in littore.*
  - 3. à fine
    - 1. *cui, cadaveri triſti.*
    - 2. *cujus, ad ſolvenda officia ſuprema.*
  - 4. *ab* adjunctis *ceremoniis, vel*
    - 1. antecedentibus, *ut*
      - 1. *Pyræ ſtructura*
        - 1. *à materia*
          - 1. *tædis.*
          - 2. *robore.*
          - 3. *frondibus atris.*
          - 4. *cupreſſo.*
        - 2. *ab adjunctis armis.*
      - 2. *Corporis cura, ut*
        - 1. *lotio*
          - 1. *ab inſtrumentali, aqua calida.*
          - 2. *à ſubjectis ahenis ebullientibꝰ.*
        - 2. *unctio, ab adjuncto gemitu vel deploratione.*
        - 3. *repoſitio*
          - 1. *à ſubjecto, in pheretrum.*
          - 2. *ab adjunctis, veſtibꝰ purpureis.*
        - 4. *deportatio per pathopœiam.*
    - 2. concomitantibus, *ut Pyræ*
      - 1. *ſuccenſio per*
        - 1. *pathopœiam.*
        - 2. *comparationem.*
        - 3. *hypotypoſin.*
      - 2. *concrematio à materia: thura, dapes, oleum.*
    - 3. conſequentibus, *ut ſunt*
      - 1. *cinerum collapſio.*
      - 2. *flammæ extinctio.*
      - 3. *reliquiarum lotio.*
- II. definito
  - 1. Chorinei, *cujus eſt*
    - 1. *oſſium collectio, à ſubjecto in cado aheno.*
    - 2. *ſociorum terna luſtratio*
      - 1. *à materia, aqua pura.*
      - 2. *ab inſtrumēto, ramo olivæ.*
    - 3. *valedictionis conclamatio.*
  - 2. Æneæ, *cujus eſt tumuli extructio,*
    - 1. *à quantitate molis.*
    - 2. *ab adjunctis monumentis*
      - 1. *arma.*
      - 2. *remus.*
      - 3. *tuba.*
    - 3. *à ſubjecto monte,*
      - 1. *à celſitate.*
      - 2. *à nominis*
        - 1. *claritate.*
        - 2. *perennitate.*

*His actis, properè exequitur præcepta Sibyllæ.*
*Spelunca alta fuit, vaſtoque immanis hiatu,*
[a] *Scrupea,* [b] *tuta lacu nigro, nemorumque tenebris:*
[c] *Quam ſuper haud ullæ poterant* [d] *impune* [e] *volantes*
[f] *Tendere iter pennis:* [g] *talis ſeſe halitus atris*
*Faucibus effundens, ſupera ad* [h] *convexa ferebat:*
*Unde locum Graij dixerunt nomine* [i] *Avernum.*
*Quatuor* [k] *hic primum* [l] *nigrantes terga juvencos*
*Conſtituit, frontique* [m] *invergit vina ſacerdos:*
*Et ſummas carpens media inter cornua* [n] *ſetas,*
*Ignibus imponit ſacris* [o] *libamina prima,*
[p] *Voce vocans* [p] *Hecaten,* [r] *cœloq;,* [s] *Ereboq; potentem.*
[t] *Supponunt alii cultros, tepidumque cruorem*
*Suſcipiunt pateris: ipſe atri velleris agnam*
*Æneas* [u] *matri Eumenidum, magnæq; ſorori*
*Enſe* [x] *ferit,* [y] *ſterilemque tibi, Proſerpina, vaccam.*
*Tum* [z] *Stygio Regi* [a] *nocturnas* [b] *inchoat aras:*
*Et ſolida imponit taurorum* [c] *viſcera flammis,*
*Pingue* [d] *ſuperque oleum fundens ardentibus* [e] *extis.*
*Ecce autem primi ſub lumina ſolis, & ortus,*
*Sub pedibus* [f] *mugire ſolum, & juga cœpta moveri*
*Sylvarum: viſæque* [g] *canes* [h] *ululare per umbram,*
*Adventante* [i] *Dea.* [k] *Procul ô, procul eſte profani,*
*Conclamat vates, totoque abſiſtite luco:*
*Tuque invade viam, vaginaque eripe* [l] *ferrum:*
*Nunc* [m] *animis opus, Ænea, nunc pectore firmo.*

Tan-

a) A ſoli aſperitate. Sunt autē ſcrupi vel ſcrupuli minuti lapilli, qui ambulantib⁹ in calceos inſiliunt, qui quòd pedib⁹ moleſti ſunt, pro dubio, cura, & ſollicitudine per tropum frequenter uſurpantur; & ſcrupulum injicere proverbiali ſpecie ſignificat ſollicitudinem animo cujuspiā injicere. Porrò ſcrupi pro ſaxis aſperis & attrectatu difficilibus, ſumuntur; unde ſcrupeum quaſi aſperum & tranſitu difficile dicitur.

b) Cincta lacu & ſylva.

c) Anaſtrophe, ꝑ ſuper quam.

d) Citra noxam.

e) Volantes pro avibus.

f) Periphraſticè pro volare.

g) Cauſa cur aves ea loca adire nequeant.

h) Ad cœli curvitatem.

i) A nominis ratione, ſc. privativa particula α, & ὄρνις, avis; quaſi locus ſine avibus vel avium expers. Hunc locū Julius Cæſar, exciſis arborib⁹ & purgata ripa, ſalubriorem effecit.

k) Priusquam ſe in ſpeluncam immergat, religiosè illis diis ſacrificat, quorum penetralia ſit inviſurus. Omnia autē convenienter; Numerus enim par, hoſtiæ furvæ, ſacra in ſcrobe & terra effoſſa Diis inferis: ut Superis numerus impar, victimæ candidæ, aræ extructæ, conveniebant.

l) Synecdoche, pro tergora nigrantia vel nigra.

m) Converſa manu in ſiniſtrā partem ita effundit, ut patera convertatur: fundere verò erat ſupina manu libare, quod ſuperis cōgruebat. Alii invergere ſumunt pro ſenſim illabi, & influere.

n) Setæ propriæ ſunt duriores & craſſiores pili in dorſis ſuum, hic loci pro pilis boum.

o) Mo-

**Actus Deſcenſionis ad inferos conſtat:**

- I. Præparatione, *videl. ſacrificiis, quorum*
  - 1. Impulſiva, *per tranſitionem, juſſus Sibyllæ.*
  - 2. Subjectum, *Avernus per Topotheſian*
    - *1. ab adjuncta*
      - *1. profunditate.*
      - *2. hiatus immanitate.*
      - *3. ſoli aſperitate.*
    - *2. à materia*
      - *1. lacu nigro.*
      - *2. luco tenebroſo.*
    - *3. ab effecto, infectione*
      - *1. ab avibus citra noxam non transvolantibus.*
      - *2. ab inſtrumentali, halitu fœtido & ſulphureo.*
    - *4. à nominis ratione, quaſi locus ſine avibus.*
  - 3. Forma & *diſtrib. Effic. ut*
    - *1. Sibylla*
      - *1. quatuor juvencos nigros conſtituit.*
      - *2. fronti vina aſpergit.*
      - *3. pilos inter cornua evellit.*
      - *4. ignibus ſacris imponit.*
      - *5. Hecaten invocat.*
    - *2. ſacrificuli*
      - *1. admovent cultros.*
      - *2. excipiunt cruorem pateris.*
    - *3. Æneas offert*
      - *1. Nocti & Terræ agnam nigram.*
      - *2. Proſerpinæ ſterilem vaccam.*
      - *3. Plutoni*
        - *1. à ſubjecto, aris noctu ardentibus.*
        - *2. à materia,*
          - *1. viſcera flammis impoſita.*
          - *2. oleum extus ſuperfuſum.*
  - 4. Effectus *eſt*
    - *1. Proſerpinæ adventus*
      - *1. tempore matutino.*
      - *2. ſignis, ut ſunt:*
        - *1. terræ mugitus.*
        - *2. ſylvarum motus.*
        - *3. Furiarum ululatus.*
    - *2. Sibyllæ hortatus*
      - *1. indefinitè jubet abeſſe omnes nō initiatos.*
      - *2. definitè jubet Æneam*
        - *1. invadere viam.*
        - *2. evaginare gladium.*
        - *3. tenere animum infractum.*
- II. Progreſſione. } *vid. ſeqq.*
- III. Degreſſione. } *vid. ſeqq.*

o) Mola ſparſæ & devotæ hoſtiæ vulſos è fronte pilos conjiciebant in ignem, ut primitias & libamina. p) Pleonaſmus, vel Emphaſis, quaſi voce diſſona & aliena à voce humana. q) Hecate, in cœlo Luna, in terris Diana, apud inferos Proſerpina. Ratio nominis eſt varia: vel à centuplicato præmio invenientis à Plutone raptam vel centuplicato ex unoquoque grano fructu; vel à centum victimis; vel à centum annis, quibus inhumatos errare cogit. r) Polyſyndeton. s) Erebus infernalis fluvius, hic per ſynecdochen pro inferis ponitur. t) Supponere cultros eſt ſub collo & jugulo ponere, vel jugulare. u) Nocti ejusque ſorori Terræ ſacrificat furvis, utpote quarum operâ eſſet ſubiturus, ne ſuis præſtigiis & Tartara petituro noceant. x) Cædit, mactatque. y) Junoni infernæ propriam, infœcundam tauram infœcundæ, quæ nunquam enixa eſt. z) Periphraſis Plutonis. *a*) Quæ tota nocte arderent. *b*) Holocauſtum perficit. *c*) Viſcera ſunt omnia interiora, pulmo, jecur, cor, ilia, præcordia, & omnia quæ pelle teguntur. *d*) Tmeſis, pro ſuperfundens. *e*) Exta Diis ſacrificata, ab Haruſpicibus inſpecta, ad futura divinanda. *f*) Metaphora à bobus ſumpta. *g*) Furiæ, canes ſtygiæ. *h*) Proprium ulularum & luporum. *i*) Proſerpina. *k*) Hac voce profanos à ſacris arcere moris erat. *l*) Platonici Dæmones corpora eſſe, lædi poſſe, armaque metuere putabant. *m*) Conſtantia animi infracta & firma adverſus terrores & mortuorum ſpectra obvia.

---

*[a] Tantum effata, [b] furens antro ſe immiſit aperto.*
*Ille [c] ducem haud timidis vadentem paſſibus, æquat.*
*[d] Dii, quibus imperium eſt animarum, umbræque [e] ſilentes,*
*Et [f] chaos, & [g] Phlegethon, loca nocte ſilentia latè,*
*Sit mihi fas [h] audita loqui: ſit numine veſtro,*
*Pandere res [i] alta terra, & caligine merſas.*
*Ibant [k] obſcuri ſola ſub nocte per umbras,*
*Perque domos Ditis [m] vacuas, & inania regna,*
*Quale per [n] incertam lunam ſub luce [o] maligna*
*Eſt iter in ſylvis, ubi cœlum condidit [p] umbra*
*Jupiter, & rebus nox abſtulit [q] atra colorem.*

a) Cum dicto ſe projecit ſe in Averni fauces, comite Ænea.
b) Enthuſiaſmo, ſeu Numine afflata:
c) Vatem Sibyllam æquis paſſibus intrepidè ſequitur.
d) Difficilem & periculoſam materiam tractaturus Poëta deprecatur impietatis notã, quòd umbrarum occulta, in lucem eruta, mortalibus ſit proditurus, quod Lege XII. tabularũ prohibebatur; ſed cùm audita tantùm, non viſa narraturum ſe promittit, non obſcurè fabuloſa eſſe innuit: quo nomine facilè veniam impetrat.
e) Umbræ tanquam ſubſtantiæ incorporeæ vocem emittere nequeunt. f) Indigeſta primæ materiæ moles.
g) Inferorum fluvius, qui flam̃is æſtuantibus rapidus fingitur, & noñunquam Pyriphlegethon dicitur.
h) Uti Æneas per eburneam portam emiſſus redit ad ſuperos, ſub calce hujus libri; ſic Poëta hæc ex auditu ſe referre profitetur.
i) Profunda terræ caligine. Eſt autem Inferorum periphraſis; q. d. liceat Inferorum arcana & myſteria mortalibus aperire. k) Hypallage, pro obſcura ſoli.
l) Non intelligit animas corporibus exutas, ſed profundi ſpecus caliginem.
m) Corporibus ſcil. etſi ſimulacris & umbris pleniſſimas.
n) Dubiam, & per ſubjectas nubes, vel ſylvarum opacitate interceptam.
o) Exigua vel obſcura, metaphoricè. q) Nocte, quæ terræ eſt umbra.
q) Caliginoſa, per Metalepſin, Cùm nihil per noctis tenebras in oculos incurrat.

**Progreſſio conſtat ſubjectis:**

- I. Perſonis, *ut*
  - *1. Sibylla præcedens*
    - *1. ab adjuncto afflatu.*
    - *2. à ſubjecto antro.*
  - *2. Æneas ſuccedens, ab adjuncta animoſitate & alacritate.*
- II. Loco, *per*
  - 1. Occupationē, *ſeu deprecationem Poëtæ, cujus*
    - *1. Objectum*
      - *1. Pluto & Proſerpina.*
      - *2. Animæ.*
      - *3. Chaos.*
      - *4. Phlegethon.*
      - *5. Loca ſilentia.*
    - *2. Forma*
      - *1. Propoſitio: date veniā narrandi.*
      - *2. Ratio, quia dicturus ſum*
        - *1. audita.*
        - *2. arcana.*
  - 2. Topographiam *ſpecus ſubterranei.*
    - *1. ab adjuncta*
      - *1. caligine.*
      - *2. ſolitudine.*
    - *2. à ſubjectis locis, per regnum Plutonis corporibus vacuum.*
    - *3. à comparatis: iter erat tale, quale,*
      - *1. ab efficiente, novilunio.*
      - *2. à ſubjecto, in ſylvis.*
      - *3. ab adjuncto tempore nocturno per periphraſin.*
      - *4. ab effecto, rebus omnibus ablato colore.*

[a] *Veſtibulum ante ipſum, primisq́; in faucibus* [b] *Orci,*
*Luctus, &* [c] *ultrices poſuêre cubilia curæ:*
[d] *Pallentesq́ue habitant morbi,* [e] *triſtisq́ue ſenectus:*
*Et Metus, &* [f] *maleſuada Fames; &* [g] *turpis Egeſtas,*
[h] *(Terribiles viſu formæ)* [i] *Lethumq́ue, Laborq́ue.*
*Tum* [k] *conſanguineus Lethi Sopor, &* [l] *mala mentis*
*Gaudia, mortiferumq́ue adverſo limine Bellum:*
[m] *Ferreiq́;* [n] *Eumenidum thalami, & Diſcordia* [o] *de-*
*Vipereum crinem vittis innexa cruentis. (mens*
*In* [p] *medio ramos, annoſaq́ue brachia pandit*
[q] *Ulmus opaca, ingens: quam ſedem ſomnia vulgo*
*Vana tenere ferunt, foliisq́ue ſub omnibus hærent.*
*Multaq́ue præterea variorum monſtra ferarum,*
[r] *Centauri in foribus ſtabulant,* [s] *Scyllæq́ue biformes,*
*Et centum geminus* [t] *Briareus, ac bellua* [u] *Lernæ*
*Horrendum ſtridens, flammisq́ue armata* [x] *Chimæra,*
[y] *Gorgones,* [z] *Harpyiæq́ue, &* [a] *forma tricorporis um-*
*Corripit hic ſubita trepidus formidine* [b] *ferrum (bræ.*
*Æneas, ſtrictamq́ue aciem venientibus offert:*
*Et, ni* [c] *docta comes tenues ſine corpore vitas*
[d] *Admoneat volitare,* [e] *cava ſub imagine formæ,*
*Irruat, &* [f] *fruſtra ferro diverberet umbras.* Hinc

a) Area ante domũ, quæ illam à via publica dividit. Ut Romani veſtibula atque atria ſignis, tabulis, & ſtatuis exornabant, quæ prætereuntium oculos delectarent: ſic Poëta monſtrorũ formis, quę mortalibus peſtes ſunt, primum inferorum aditum tanquam domicilium tribuit.

b) Orcus i.e. Inferorum locus. Aliâs Pluto, ab urgẽdo, quòd ad interitum omnia urgeat. Et amnis eſt Theſſaliæ è ſtygia palude profluens, defluensq́; in Peneum, à quo tamẽ non recipitur, ſed inſtar olei ſupernatat.

c) Quæ animũ excarnificant, & malè conſciis ſtimulis fodiunt.

d) Metonym. effic. advertenativa Epitheta.

e) Moroſa, querula, difficilis. Metonym.

f) Ad furta, cædes, rapinas, injurias impellens, aliasq́ue malas artes ſuggerens.

g) Non per ſe turpis, ſed quòd egeni ſæpe rebus turpibus ſe dent, malisq́ue artibus victũ quærant.

h) Appoſitione rerum horribilitatem deſcribit.

i) A leo, quaſi deleo, quòd omnia deleat.

k) German⁹. ſive mortis imago.

l) Ex ſceleribus provenientia, ſeu ex flagitiis perpetratis concepta, cùm admiſſa ſcelera pœnitudo & luctus ſequi debeat. m) Cubilia dura. Furiæ non norunt thalamos. n) Furiæ, per Antiphraſin q. minimè mites. o) Aptiſſimum epitheton per Meton. cauſæ. p) Veſtibulo. q) Sterilem arborem ſomniorum facit ſedem, quòd illa ſint vana, niſi habeant divinum teſtimonium. r) Umbilico tenus equi, supernè homines. Sunt a. Theſſaliæ populi, qui primi in equis de longè viſi, ſemiequi putabantur. s) Niſi & Phorci filiæ, de quarum forma variant Scriptores. De Scylla Charybdi oppoſita in 3. libro. t) Ægeon & frater ejus Gyas, Titanes dicti, 50. capita, & 100. manus habuiſſe feruntur. u) Hydra ab Hercule occiſa, x) Hæc fingitur monſtrum triforme, leo, capra, draco. Eſt a. mons Lyciæ, leonibus & ſerpentibus inhabitabilis, flammas evomens. y) Meduſa ejusq́ue ſorores Sthenio & Euryale. x) Vide 3. lib. a) Geryon tricorpor. b) Gladium, quem juſſus fuerat ſtringere. c) Sibyllæ periphraſis. d) Enallage temporis pro admonuiſſet. e) Non ſolida, ſed inani. f) Quia ſunt ſubſtantiæ incorporeæ, ideò nec tangi, nec lædi poſſunt.

- Digreſſio *conſtat:*
  - I. Veſtibuli pertranſitione, *ubi*
    - 1. Diſtributio *monſtrorum in parte*
      - 1. anteriori
        - *1. à ſubjecto per interpretationẽ metaphoricã.*
        - *2. ab adjuncto ſitu*
          - *1. à dextris*
            - *1. Luctus & Curæ.*
            - *2. Morbi.*
            - *3. Senectus.*
            - *4. Metus.*
            - *5. Fames.*
            - *6. Egeſtas.*
            - *7. Lethum.*
            - *8. Labor.*
          - *2. à ſiniſtris*
            - *1. Sopor.*
            - *2. Mala gaudia.*
            - *3. Bellum.*
            - *4. Furiæ.*
            - *5. Diſcordia*
              - *1 à dementia*
              - *2. à deformitate.*
      - 2. ulteriori, *Somnia.*
        - *1. à ſubjecta arbore ulmo*
          - *1. à diuturnitate.*
          - *2. ab opacitate.*
        - *2. ab adjuncta*
          - *1. vanitate.*
          - *2. quantitate ſeu multitudine, ſingulis pendent foliis.*
      - 3. poſteriori
        - *1. indefinitè, multa ferarum monſtra.*
        - *2. definitè*
          - *1. Centauri. 2. Scyllæ. 3. Briareus.*
          - *4. Lerna. 5. Chimæra. 6. Gorgones.*
          - *7. Harpyiæ. 8. Geryon.*
    - 2. Effectus, *Æneæ impetus*
      - *1. ab impulſiva formidine.*
      - *2. ab inſtrumento, ſtricto gladio.*
      - *3. ab objecto, umbris occurrentibus.*
      - *4. ab oppoſito, monitu Sibyllæ de ſubſtantiarum*
        - *1. tenuitate.*
        - *2. inanitate.*
      - *5. ab effectu irrito, fruſtranea diverberatione.*
  - II. Acherontis trajectione. *Vid. ſeq.*

*Hinc via, Tartarei quæ fert Acherontis ad undas:[a]*
*Turbidus hic cœno, [b] vaſtaque voragine gurges*
[c] *Æſtuat, atque omnem [d] Cocyto eructat arenam.*
[e] *Portitor has horrendas aquas, & flumina ſervat*
*Terribili [f] ſqualore Charon: cui plurima mento*
[g] *Canities inculta jacet: [h] ſtant lumina flammâ:*
*Sordidus ex humeris nodo dependet amictus.*
*Ipſe ratem conto ſubigit, veliſque miniſtrat,*
*Et [i] ferruginea ſubvectat corpora [k] cymba,*
*Jam ſenior, ſed [l] cruda [m] Deo, viridiſque ſenectus.*
*Huc omnis turba ad ripas effuſa ruebat,*
*Matres, atque viri, defunctaque corpora vitâ*
*Magnanimûm Heroum, pueri, innuptæque puellæ,*
*Impoſitique rogis juvenes [n] ante ora parentum.*
*Quàm multa in ſylvis [o] autumni frigore primo*
*Lapſa cadunt folia: aut ad terram [p] gurgite ab alto*
*Quam multæ [q] glomerantur aves, ubi [r] frigid[o] annus*
*Trans [s] pontum fugat, & terris immittit [t] apricis.*
[u] *Stabant orantes, primi tranſmittere curſum,*
*Tundebantque manus ripæ ulterioris amore:*
[x] *Navita ſed [y] triſtis nunc hos, nunc accipit illos:*
*Aſt [z] alios longè ſummotos arcet arena.*

a) A veſtibulo via eſt ad amnes infernales, qui ſunt Acheron, Lethe, Phlegethon, Cocytus, Styx.
b) Profunda, quæ & vortex, à vorando, abſorbendo.
c) Fervet, agitatur. Metaphora à calore ad maris æſtum.
d) In Cocytum per Stygem.
e) Catachreſis. Propriè, qui portorium conduxit. Sic vocatur Charon, quòd accepto naulo umbras in ulteriorem fluminis ripam trajicit.
f) Squalor propriè in corporibus eſt alta ſordium congeries, ad ſquamarum in piſcibus ſimilitudinem.
g) Decrepita ſenectus ſui cult' ſolet eſſe negligentior.
h) Inflexibiles oculi, rigentes, ardentes, ſcintillantes.
i) Inter funeſtos colores ferrugineus inferorum cymbæ optimè convenit. Ferrugo, ferri rubigo.
k) Propriè navis piſcatoriæ genus.
l) Prima ſenecta eſt crudorũ, ſecunda ſenum, tertia capulariũm. ὠμογέρων, validus ſenex.
m) Poëtæ etiam Deorũ miniſtros appellare ſolent Deos.
n) Pathos. Acerbum eſt parentibus ſepelire filios.
o) Ultima autumni parte, invaleſcente frigore.
p) Mari, per Tapinoſin.
q) Confertim volant; Metaphora. Glomerare propriè implicare, & in globi ſeu ſphæræ figuram inducere filum. r) Hyems, per Synecdochen à toto partem dicit. s) Mare. Synec. ſpeciei pro genere cùm propriè pontus ſit interior maris pars inter Cherſoneſum & Euxinum. t) Sine frigore, q. ἄνευ φείκης, unde apricus, q. ἀφείκης, ſine horrore frigoris: unde Africa putatur appellari, & Aphrica ſcribi. u) Spondæorum tractus ſupplicibus convenit. x) Antonomaſia, pro Charonte. Epentheſis, pro nauta. y) Aſper, acerbus, ſævus. Metonym. adjuncti. z) Inhumatos, inſepultos. Unde inventum eſt ſuperſtitioſum ſepulturæ genus, quod Terræ injectionem vocarunt veteres, quam etiamnum quidam Chriſtiani, tanquam ab Ethnicis ſumptam, exercere videntur.

- Acherontis trajectio conſtat:
  - I. Theoria animarum, *quæ eſt vel*
    - 1. indifferens omnium *conſtans*
      - 1. Topotheſia *fluvij infernalis,*
        - *1. à cauſa vel origine, interiore tartaro.*
        - *2. ab adjuncta fœditate & profunditate.*
        - *3. ab effecto, ejectione arenæ.*
      - 2. Proſopographia *Charontis*
        - *1. ab officio, fluminis cuſtodia.*
        - *2. ab habitu*
          - *1. in genere, terribili ſqualore.*
          - *2. in ſpecie*
            - *1. à neglecto barbæ cultu.*
            - *2. ab horribili oculorum aſpectu.*
            - *3. à ſordido veſtitu.*
        - *3. ab actu*
          - *1. regit naviculam & vela.*
          - *2. transvehit corporum ſimulacra.*
        - *4. à ſenectute vegeta.*
      - 3. Pragmatologia, *quæ eſt*
        - 1. Concio
          - *1. à ſubjecto loco, ad ripas.*
          - *2. à ſexu, viri & fœminæ.*
          - *3. à generis ſplendore, Heroës.*
          - *4. ab ætate, pueri, puellæ, juvenes.*
          - *5. à multitudine per comparationem hyperbolicam*
            - *1. foliorū decidentium*
              - *1. à ſubjecto, in ſylvis.*
              - *2. ab adjuncto tempore.*
            - *2. avium avolantium*
              - *1. à termino à quo.*
              - *2. à tempore frigido.*
              - *3. à termino ad quem.*
        - 2. Obſecratio *pathetica per Hypotypoſin*
          - *1. à ſitu, ſtabant orantes.*
          - *2. à geſtu, extenſis manibus.*
          - *3. ab effectu, deſiderio trajiciendi.*
          - *4. ab effectu, Charontis arbitrio, quo animas*
            - *1 ſepultorū admittit.*
            - *2. inſepultorum arcet*
    - 2. differens inſepultorum. *vid. ſeq.*
  - II. Hodœporia. *vid. ſeq.*

*Æneas (miratus enim, motusq́ue tumultu)*
*Dic, ait, ô virgo, quid vult concurſus ad amnem?*
*Quidve petunt animæ? vel quo diſcrimine ripas*
*Hæ linquunt; illæ remis [a] vada [b] livida [c] verrunt?*
[d] *Olli ſic breviter fata eſt [e] longæva ſacerdos:*
[f] *Anchiſa generate, Deûm [g] certiſſima proles,*
*Cocyti ſtagna alta vides, Stygiamq́ue paludem:*
*Dij cujus [h] jurare timent, & fallere numen.*
*Hæc omnis, quã cernis, [i] inops, inhumataq́; turba eſt:*
*Portitor ille Charon: hi, quos vehit unda, ſepulti.*
*Nec ripas datur horrendas, nec [k] rauca fluenta*
*Transportare priùs, quàm [l] ſedibus oſſa quierunt:*
[m] *Centum errant annos, [n] volitantq́ue hæc littora [o] circum:*
*Tum demum admiſſi ſtagna exoptata reviſunt.*
*Conſtitit Anchiſa ſatus, & veſtigia preſſit,*
*Multa putans, ſortemq́; animo miſeratus [p] iniquam.*

*Cernit*

a) Vadum propriè eſt fluminis fundum ſolidum, quòd in eo ſine periculo vadatur.

b) Cocytum & Stygen, à morte, quam nonnunquam lividam dicim⁹. Propriè enim lividum dicimus colorem carnis ſubnigræ ex ictu baculi, aut fuſtis; à quo deinceps invidos ſolemus lividos appellare, quòd hic color in eorũ vultu appareat.

c) Transmittunt, navigant. Metaphora à purgantibus pavimenta ſcopis.

d) Antitheſis, pro illi.

e) Quæ ſecula ſeptem vixerat; unde ejus vivacitas in proverbium abiit.

f) Æneæ periphraſis.

g) Ex eo, quod inferos vivus adire potuit.

h) Juratum numen fallere eſt pejerare. Communi Deorũ calculo decretum fuit, ut qui pejeraret, & juratam Stygem falleret, annum unum, & dies novem, ambroſia & nectare careret.

i) Quæ neque legitimam, neque imaginariam ſortita eſt ſepulturam.

k) Raucum vocat flumen, à ſono obtuſo fluctuum.

l) Sepulchra ſunt ſedes mortuorum.

m) Ex Platonicorum myſteriis hoc deſumptum videtùr, qui religiosè denarium numerum conſiderabant; hunc ſi decies ſumas, centenarium efficies: atque hos annos univerſos vocant, quòd purgationi, & expiandis animis dedicati fuerint, quibus nimirum vitiorum ſordes eluuntur, ut tandem aliquando Elyſii felicitate fruantur.

n) Quippe umbræ & ſubſtantiæ incorporeæ.

o) Anaſtrophe.

p) Quid iniquius, quàm ob alterius negligentiam puniri? nemo enim ſuâ culpâ ſepulchro caret.

Inſepultorum Theoria
- I. indefinita *explicatur*
  - 1. Æneæ *quæſtione, cujus*
    - *1. impulſiva*
      - *1. interna, admiratio.*
      - *2. externa, commotio ex tumultu.*
    - *2. captatio benevolentiæ à virginitate.*
    - *3. propoſitio*
      - *1. indiſtincta per expolitionem,*
        - *1. quid ſibi vult confluxus?*
        - *2. quid petunt animæ?*
      - *2. diſtincta, cur aliæ*
        - *1. remanent?*
        - *2. tranſeunt?*
  - 2. Sibyllæ *reſponſione, cujus*
    - 1. Adjuncta
      - *1. ſermonis brevitas.*
      - *2. Perſonæ longævitas & dignitas.*
    - 2. Forma
      - *1. captat benevolentiam, à generis dignitate.*
      - *2. narrat per*
        - *1. Topotheſiam*
          - *1. Cocyti ſtagni.*
          - *2. Stygis paludis, à fine ſeu uſu jurandi.*
        - *2. Hypotypoſin inſepultorum.*
        - *3. Proſographiam Charontis ab officio.*
        - *4. Diſtributionē, ubi animæ*
          - *1. ſepultorum transvectæ.*
          - *2. inſepultorum relictæ, quarū*
            - *1. repulſio.*
              - *1. à ſubjecto per expolitionē.*
              - *2. à cauſa, denegata ſepultura.*
            - *2. erratio*
              - *1. ab adjuncta temporis diuturnitate centenario.*
              - *2. à ſubjecto, circū littora.*
              - *3. ab evētu, exoptata transvectione.*
    - 3. Effectum *eſt Æneæ*
      - *1. admiratio, cujus ſigna per hypotypoſin geſtus*
        - *1. ſubſiſtendi per expolitionem.*
        - *2. cogitandi.*
      - *2. commiſeratio per pathopœiam.*
- II. definita. *Vid. ſeq.*

*Cernit ibi mœſtos, & mortis [a] honore carentes,*
*[b] Leucaſpim, & Lyciæ ductorem [c] claſſis Orontem:*
*Quos ſimul à Troja ventoſa per æquora vectos*
*Obruit [d] Auſter, aqua involvens navemq; viroſque.*
*[e] Ecce gubernator [f] ſeſe Palinurus agebat:*
*Qui [g] Lybico nuper curſu, dum ſidera [h] ſervat,*
*Exciderat puppi, mediis eff uſus in undis.*
*Hunc ubi vix multa [i] mœſtum cognovit in [k] umbra,*
*Sic prior alloquitur: quis te, Palinure, Deorum*
*Eripuit nobis, medioque [l] ſub æquore merſit:*
*Dic age. Namq́ue mihi [m] fallax haud antè repertus*
*Hoc uno reſponſo animum [n] deluſit Apollo:*
*Qui fore te ponto incolumem, [o] fineſq́ue canebat*
*Venturum Auſonios. [p] en hæc promiſſa fides [q] eſt!*

*Ille*

a) Sepultura, honore tumuli poſt mortem.
b) De his I. lib. Æneid.
c) Pro navi, ſynecdochicè pro parte totum.
d) Synecdoche ſpeciei pro genere.
e) Attentionis particulâ ad congreſſum Palinuri & Æneæ narrandum ſe accingit.
f) Errabund⁹ obibat, vel ibat. Similis locutio in Terentii Andria: quò hinc te agis?
g) In trajectu è Siciliæ in Italiam per mare Libycum ſeu Tyrrhenum.
h) Obſervat.
i) Quòd honore ſepulturæ defraudato trajectus negatus eſſet.
k) Obſcuro & tenebroſo loco.
l) Tmeſis.
m) Mendax.
n) Amphiboliâ ſcilicet. Nam contigit quidem Palinuro Italiæ oras attingere, verùm ſecus quàm vel Æneas, vel ipſe interpretatus fuerat, qualia fallacia Oracula plura alibi legere licet.
o) Ellipſis, pro in fines Auſonios.
p) Obliquè nominis vanitatem notat, quæ hoc eventu coargui poſſe videbatur.
q) Indignationi convenit oratio in monoſyllabum defluens,

Definita theoria eſt vel
- I. Minus principalis
  - 1. ab effectu mœſtitiæ, quòd carerent ſepultura.
  - 2. à nomine, Leucaſpis & Orontes ab officio.
  - 3. à caſu, cujus
    - 1. Subjectus terminus eſt à quo & per quem.
    - 2. Cauſa, venti.
    - 3. Effectus, ſubmerſio navium & virorum.
- II. Principalis Palinuri, ubi
  - 1. Æneæ compellatio, cujus
    - 1. Occaſio, Palinuri occurſatio, qui deſcribitur:
      - 1. à priſtino officio.
      - 2. ab infortunio, cujus
        - 1. ſubjectum, mare Libycum.
        - 2. occaſio, ſiderum obſervatio,
        - 3. modus, è puppi excidit in mare.
    - 2. Adjuncta
      - 1. cognoſcendi difficultas ob
        - 1. mœſtitiam.
        - 2. tenebras.
      - 2. alloquendi prioritas.
    - 3. Forma, cujus
      - 1. Propoſitio quærit de mortis
        - 1. Cauſa, num Deus aliquis?
        - 2. Genere, num ſubmerſus?
      - 2. Ratio à contrariis, Apollinis
        - 1. priſtina veritate, quæ nunquam fefellit.
        - 2. inopina vanitate, qua unico reſponſo deluſit.
      - 3. Amplificatio à promiſſa
        - 1. incolumitate.
        - 2. trajectione in Italiam.
      - 4. Clauſula per exclamationem fidei violatæ.
  - 2. Palinuri reſponſio. } vid. ſeqq.
  - 3. Sibyllæ interpellatio. } vid. ſeqq.

*Ille autem: Neque te Phœbi* [a] *cortina fefellit,*
*Dux Anchiſiade: nec me* [b] *Deus æquore merſit.*
*Namque gubernaclum multa vi forte revulſum,*
*Cui datus hærebam cuſtos, curſusque regebam,*
[c] *Præcipitans traxi mecum. Maria aſpera juro,*
*Non ullum pro me tantum cepiſſe timorem,*
*Quàm tua ne ſpoliata* [d] *armis,* [e] *excuſſa magiſtro,*
*Deficeret tantis navis ſurgentibus undis.*
*Tres* [f] *Notus* [g] *hybernas immenſa per æquora noctes*
*Vexit me violentus aqua: vix* [h] *lumine quarto*
*Proſpexi Italiam, ſumma ſublimis ab unda.*
*Paulatim adnabam terræ, & jam* [i] *tuta tenebam.*
*Ni* [k] *gens crudelis madida cum veſte gravatum,*
[l] *Prenſantemq́, uncis manibꝰ* [m] *capita aſpera montis,*
*Ferro invaſiſſet,* [n] *prædamque ignara putaſſet.*
*Nunc* [o] *me fluctus habet, verſantque in littore venti.*
*Quod te per cœli jucundum lumen, & auras,*
*Per genitorem oro, per ſpem ſurgentis Iuli*
*Eripe me his,* [p] *invicte, malis: aut tu mihi* [q] *terram*
*Injice, namque potes, portusq́; require* [r] *Velinos:*
*Aut tu, ſi qua via eſt, ſi quam tibi* [s] *diva creatrix*
*Oſtendit, (neque enim credo* [t] *ſine numine divûm*
*Flumina tanta paras, Stygiamq́;* [u] *innare paludem)*
*Da* [x] *dextram miſero, & tecum me tolle per undas:*
[y] *Sedibus ut ſaltem placidis in morte* [z] *quieſcam.*

a) Oraculum. Metonym. ſubjecti loci pro adjuncto reſponſo. Cortina metaphoricè tripus Apollinis.
b) Somnus quidem præcipitavit, ſed non merſit.
c) Heteroſis generis, pro præcipitatus.
d) Gubernaculo, clavo. Metaphora.
e) Exuta gubernatore, cui excuſſus Magiſter. Hypallage.
f) Synecdoche ſpeciei; pro vento.
g) Aſperas, procelloſas.
h) Quarto die.
i) Loca, aut littora.
k) Velienſium in Lucania.
l) Identidem apprehendere conantem.
m) Præruptos ſcopulos, ſaxa.
n) Prædonem è navi dejectum, vel hoſtem deturbatum, qui Lucanis eſſet prædæ.
o) Corpus meum inſepultum, vel cadaver.
p) Qui etiam ad Inferos deſcenderis.
q) Leviſſimum ſepulturæ genus poſtulat.
r) Anticipatio poëtica, quam Græci ἀναχρόνισμον vocabant. Tum temporis enim Velia nondum erat condita.
s) Venus mater tua.
t) οὐκ ἄνευ θεῶν, dicitur de iis, qui citra humanam induſtriam aliquid conſequuntur.
u) Navigare, trajicere.
x) Dextra virtuti, fidei, auxilio, & omnibus rebus auſpicatis eſt conſecrata.
y) In Campis Elyſiis.
z) Corpore inhumato, umbræ circa ripam errantes non putabantur quieſcere, ſed ſurſum deorſum perpetua inquietudine divagari.

Talia

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-356869-p0042-0

Palinuri reſponſio conſtat:

- 1. *Exordio, quo captatur*
  - 1. *Benevolentia, à perſona Æneæ.*
  - 2. *Attentio*
    - 1. *ab Oraculi veritate.*
    - 2. *à mortis cauſa.*
- 2. *Narratione, q̄ conſtat*
  - 1. *Cauſa, quæ eſt*
    - 1. *violenta gubernaculi revulſio.*
    - 2. *firma Palinuri adhæſio.*
  - 2. *Actu, qui eſt præcipitatio Palinuri in mare cum gubernaculo.*
  - 3. *Adjuncta ſollicitudine pro Ænea*
    - 1. *probata juramento, per maria.*
    - 2. *illuſtrata comparatione, cujꝰ*
      - 1. *protaſis: metui quidem vitæ meæ.*
      - 2. *apodoſis: ſed magis vitæ tuæ;*
        - 1 *à cauſa excuſſione clavi & magiſtri.*
        - 2. *ab effecto, metuendo naufragio.*
  - 4. *Eventu, qui eſt* Palinuri
    - 1. Jactatio
      - 1. *à cauſa, ventorum violentia.*
      - 2. *ab adjuncto tempore tridui.*
      - 3. *à ſubjecto termino per quem.*
    - 2. Eluctatio
      - 1. *à tempore, quarto die.*
      - 2. *ab impulſiva, conſpecta Italia.*
      - 3. *à termino ad quē, portum tutū.*
    - 3. Trucidatio.
      - 1. *à cauſa effic. crudeli gente Lucanor.*
      - 2. *ab adjunctis per pathopœiam,*
        - 1. *madida veſte gravatus.*
        - 2. *rupem prenſans.*
      - 3. *ab inſtrumento, ferro.*
      - 4. *à fine, ſpe prædæ.*
    - 4. Fluctuatio *corporis inſepulti*
      - 1. *à ſubjecto, littore.*
      - 2. *à cauſa, ventis.*
- 3. *Propoſit. ubi*
  - 1. *adjuratio per*
    - 1. *Cœlum.*
    - 2. *Aërem.*
    - 3. *Anchiſen.*
    - 4. *Aſcaniū.*
  - 2. *petitio: eripe me his malis.*
- 4. *Confirmatione, per disjunctionem modi*
  - 1. *prioris, ubi*
    - 1. *propoſitio: aut fac mihi cenotaphium.*
    - 2. *ratio, quia potes.*
    - 3. *amplificatio à ſubjecto loco, in portu Velino.*
  - 2. *poſterioris*
    - 1. *indefiniti, ubi*
      - 1. *propoſitio: aut alia vis mihi conſule.*
      - 2. *ratio à facili, ductu Sibyllæ.*
      - 3. *amplificatio à deſcenſus Æneæ*
        - 1. *cauſa, numine.*
        - 2. *ſubjecto flumine.*
    - 2. *definiti, ubi*
      - 1. *propoſitio: opem fer, tolle me tecum.*
      - 2. *ratio à fine, ut quieſcam in Elyſiis.*

Talia fatus erat,[a] cœpit cùm talia vates:
Unde hæc, ô Palinure, tibi tam dira[b] cupido?
Tu Stygias inhumatus aquas, amnemque[c] ſeverum
[d] Eumenidum aſpicies?[e] ripamve injuſſus abibis?
[f] Deſine fata Deûm flecti ſperare precando.
Sed cape dicta memor, duri ſolatia caſus.
Nam tua[g] finitimi, longè latèque per urbes
[h] Prodigiis acti cœleſtibus, oſſa piabunt,
Et ſtatuent tumulum, & tumulo[i] ſolennia mittent:
Æternumque locus Palinuri nomen habebit.
His dictis curæ emolæ, pulſusque parumper
Corde dolor triſti:[k] gaudet cognomine terra.

a) Ellipſis verbi. Loqui, vel interpellare.
b) Tranſmittendi Stygem.
c) Triſtem, implacabilem, irremeabilem.
d) Quò magis eum terreat, ait collegium Furiarum manere, ſi trajicere velle pergat.
e) Ellipſis præpoſitionis, in ripam.
f) Concludit fatum immutabile eſſe, ut inſepulto trajectus concedatur; proinde non eſſe, cur precando ſe fatiget.
g) Campani & Lucani, quia nondum erant Velini.
h) Lucanis peſtilentia laborantibus reſpondit Oraculũ, manes Palinuri placandos: ergo dedicarunt ei lucum, & cenotaphium erexerunt.
i) Juſta funebria perſolvent.
k) Gaudet, quòd habiturus ſit terram ſibi cognominem.

---

Ergo iter inceptum peragunt, fluvioque propinquant:
Navita quos jam inde ut Stygiâ proſpexit ab unda,
Per[a] tacitum nemus ire, pedemque advertere ripæ:
Sic prior aggreditur dictis, atque[b] increpat ultrò:
Quisquis es, armatus qui noſtra ad flumina tendis
Fare age quid venias? jam iſthinc & comprime greſſum.
Umbrarum hic locus eſt, ſomni noctisque ſoporæ:
Corpora viva nefas Stygiâ vectare carinâ.
Nec verò Alciden me, ſum[c] lætatus euntem
Accepiſſe lacu: nec Theſea, Pirithoumque:
[d] Diis quanquam geniti, atq; invicti viribus eſſent.
Tartareum ille manu cuſtodem in vincla petivit,
Ipſius à ſolio Regis traxitque trementem:
Hi Dominum Ditis thalamo deducere adorti.

a) Vel metonymicè, quòd in eo nemore nullus neque cantus, neque garritus avium audiretur: vel Hypallageticè, tacitos, & cum ſilentio.
b) Metaph. pro immani ſono reprehendere.
c) Anno enim integro incompedibus fuit Charon, quòd Herculem trajeciſſet.
d) Hercules & Pirithous Jove ſati, Theſeus Ægeo, ut alii Neptuno.

Quæ

## TAB. XVIII.

Sibyllæ interpellatio *conſtat:*

- I. Tranſitione *Poëtæ, quæ fit*
  - *1. mentione dictorum à Palinuro.*
  - *2. promiſſione dicendorum à Sibylla.*
- II. Forma, *cujus*
  - *1. Exordium captat attentionẽ,*
    - *1. Propoſitione: objurgando diram cupidinem.*
    - *2. Ratione per expolitionem; inhumati nequeunt*
      - *1. aquas ſtygias trajicere.*
      - *2. amnem Eumenidum aſpicere.*
      - *3. ripam invitis Diis tranſire.*
    - *3. Clauſula: deſine fatorum mutationem ſperare.*
  - *2. Propoſitio: audi ſolatia caſus tui.*
  - *3. Confirmatio ab eventu læto ſepulturæ:*
    - *1. ab efficiente, finitimi te ſepelient.*
    - *2. ab impulſiva, acti peſte.*
    - *3. à forma*
      - *1. piabunt oſſa.*
      - *2. facient tumulum.*
      - *3. inſtituent exequias.*
    - *4. ab effecto, æternitate nominis promontorio imponendi.*
- III. Effecto, *Palinuri exhilaratione per contraria, ut ſunt*
  - *1. triſtitiæ expulſio, per expolitionem*
    - *1. curæ emotæ.*
    - *2. dolor pulſus.*
  - *2. lætitiæ excitatio, à cauſa, terra ſui nominis.*

*Quæ contrà breviter fata eſt [e] Amphryſia vates,*
*Nullæ hic inſidiæ tales (abſiſte moveri)*
*Nec vim tela ferunt. Licèt ingens [f] Janitor antro*
[g] *Æternum latrans exſangues terreat umbras,*
*Caſta licèt [h] patrui ſervet [i] Proſerpina [k] limen.*
*Trojus Æneas, pietate inſignis & armis,*
*Ad genitorem, imas [l] Erebi deſcendit ad umbras.*
*Si te nulla movet, tantæ pietatis imago;*
*At ramum hunc [m] (aperit ramum, qui veſte latebat)*
*Agnoſcas. Tumidâ ex irâ tum corda reſidunt.*
*Nec plura [n] his. Ille admirans venerabile donum*
*Fatalis virgæ, longo pòſt tempore viſum,*
*Cæruleam advertit puppim, ripæque propinquat.*
*Inde alias animas, quæ per [o] juga longa ſedebant,*
*Deturbat, laxatque [p] foros: ſimul accipit [q] alveo*
[r] *Ingentem Æneam: gemuit ſub pondere cymba*
*Sutilis, & multam accepit rimoſa [s] paludem.*
*Tandem trans fluvium incolumes vatemq; virumq;*
*Informi limo, glaucâque exponit in ulva.*
*Cerberus hæc ingens latratu regna [t] trifauci*
*Perſonat, [u] adverſo recubans immanis in antro.*
*Cui vates [x] horrere videns jam colla [y] colubris,*
*Melle [z] ſoporatam & medicatis frugibus [a] offam*
*Objicit. Ille fame rabidâ tria guttura pandens*
*Corripit objectam: atque immania terga reſolvit,*
*Fuſus humi, totoque ingens extenditur antro.*
*Occupat Æneas aditum, cuſtode [b] ſepulto,*
*Evaditque celer [c] ripam [d] irremeabilis undæ.*

e) Sibyllæ epitheton, ab Amphryſo Theſſaliæ fluvio.
f) Cerberi periphraſis. Erat autem canis triceps, cauda draconis.
g) Enallage partis, pro æternò, perpetuò.
h) Plutonis, qui Jovis germanus.
i) Jovis & Cereris filia, à Plutone rapta.
k) Domum. Synecdoche.
l) Pars inferorum, ſedes beatorum.
m) Profert, detegit.
n) Subintellige: dicta fuerunt.
o) Tranſtra, remigum ſedilia.
p) Navium tabulata, loca apertiora.
q) Hypermeter, vel ſynæreſis in ſpondæum.
r) Gravem cymbæ ſutili ſeu fragili.
s) Synecdoche, pro parte paluſtris aquæ.
t) Ex tribus ejus faucibus prodeunte.
u) Oppoſito, objecto, è regione ſito antro.
x) Hiſpida, aſpera, terribilia eſſe.
y) Serpentes ei erant pro pilis.
z) Temperatam herbis ad inducendum ſomnum, papavere videlicet miſtis.
a) Offam vocant maſſam ex porciuis carnibus confectã, quam facere ex mediocri inteſtino à Lucanicis didicerunt Romanæ mulieres; unde Lucanicæ dictæ ejusmodi farcimina.
b) Auxeſis Sopito, dormiente.
c) Ellipſis propoſitionis, pro ad ripam.
d) Per quam reditꝰ ad ſuperos nullus patet, ita ut qui ſemel eam tranſmiſerit, ei perpetuò ſit ibi manendum; aut ſi eum Poëta poëticè licet loqui, per alterutram portarum divino permiſſo redeundum,

Conti-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-356869-p0046-2

# TAB. XIX.

Hodœporia abſolvitur
- I. Charontis allocutione, cujus
  - 1. Occaſio eſt itineris ad fluvium continuatio, & appropinquatio.
  - 2. Impulſiva eſt Charontis proſpectio à ſubjecto loco
    - 1. à quo, Styge
    - 2. per quem, nemus.
    - 3. ad quem, ripam.
  - 3. Adjunctum alloquij
    - 1. tempus: prior aggreditur.
    - 2. genus reprehenſorium.
  - 4. Forma habet:
    - 1. Propoſitionem
      - 1. interrogatoriam: cur huc venis armatus?
      - 2. prohibitoriam: abſiſte hinc.
    - 2. Confirmationem
      - 1. ab inhoneſto, per
        - 1. θέσιν, per interpretationem: hic locus animarũ, noctis, ſomni.
        - 2. ἄρσιν: nefas eſt vivos transvehere.
      - 2. ab inutili per comparat. exempla, ubi
        - 1. Propoſitio: nocuit mihi transvexiſſe quosdam, qui deſcribuntur
          - 1. à nominibꝰ
            - 1. Hercules.
            - 2. Theſeus.
            - 3. Pirithoꝰ.
          - 2. à genere divino.
          - 3. à virtute.
        - 2. Ratio per diſtribut.
          - 1. Hercules Cerberum
            - 1. in vincula petiit.
            - 2. à ſolio Plutonis traxit.
          - 2. Theſeus & Pirithous conati ſunt rapere Proſerpinam.
- II. Sibyllæ reſponſione, quæ conſtat
  - 1. Adjuncta
    - 1. ſermonis brevitate.
    - 2. loquentis dignitate.
  - 2. Forma, cujus
    - 1. Propoſitio dehortatoria: abſtine iræ
    - 2. Confirmatio
      - 1. à tuto
        - 1. per expolitionem
          - 1. nullæ hic inſidiæ.
          - 2. nec arma nocent.
        - 2. per diſtributionem objecti
          - 1. Cerberi, à
            - 1. ſubjecto antro.
            - 2. effecto: latratu terret.
          - 2. Proſerpinæ, ab adjuncto officio.
      - 2. à pio
        - 1. Æneæ Perſona, cujus laus
          - 1. à pietate & fortitudine.
          - 2. ab intentione deſcendendi ad parentem.
        - 2. Aureo ramo, per
          - 1. Pathopœiam: ſi te non movet hujus viri Pietas,
          - 2. Hypotypoſin: agnoſce hunc ramum.
  - 3. Effecto, v. Æneæ receptione, cujus
    - 1. Impulſiva
      - 1. interna, iracundiæ ſedatio.
      - 2. externa, admiratio, cujus
        - 1. objectum, rami ſanctitas.
        - 2. adjunctum, conſpiciendi diuturnitas.
    - 2. Actus
      - 1. præparationis
        - 1. puppis admotio.
        - 2. animarum remotio.
        - 3. ſedilium evacuatio.
      - 2. executionis
        - 1. à ſubjecto, alveo.
        - 2. ab adjuncto cymbæ ſonitu, rimarum hauſtu.
    - 3. Eventus,
      - 1. transvectio ab adjuncta incolumitate.
      - 2. expoſitio, à ſubjecto, limo & ulva.
- III. Cerberi placatione,
  - 1. ab adjuncto latratu.
  - 2. à ſubjecto antro.
  - 3. à Cauſa
    - 1. principali, Sibylla.
    - 2. impulſiva, horrore collorum & aſperitate pilorum.
    - 3. inſtrumentali, objecta offa, ex melle & frugibus medicatis.
    - 4. formali,
      - 1. avida offæ correptio.
      - 2. corporis extenſio.
  - 4. ab effectu,
    - 1. aditus occupatione à facilitate ob ſopitum Cerberum.
    - 2. ripæ tranſitione à celeritate & remeandi difficultate.

*Continuò auditæ voces, vagitus & ingens,*
*[a] Infantumque animæ, flentes in limine primo:*
*Quos [b] dulcis vitæ exſortes, & ab [c] ubere raptos*
*Abſtulit [d] atra dies, & funere merſit [e] acerbo.*
*[f] Hos juxta falſo damnati crimine mortis.*
*Nec verò hæ ſine [g] ſorte datæ, ſine judice ſedes.*
*[h] Quæſitor [i] Minos urnam movet: ille [k] ſilentum*
*Conciliumque vocat, vitasque & crimina diſcit.*
*Proxima deinde tenent [l] mœſti loca, qui ſibi lethum*
*Inſontes peperêre manu, lucemque peroſi*
*Projecêre animas. Quàm vellent [m] æthere in alto*
*Nunc & pauperiem & duros perferre labores!*
*Fata obſtant, triſtique palus [n] inamabilis unda*
*[o] Alligat, & [p] novies Styx interfuſa coërcet.*
*Nec procul hinc partem fuſi monſtrantur in omnem*
*[q] Lugentes campi: ſic illos nomine dicunt.*
*Hîc quos durus amor crudeli [r] tabe peredit,*
*Secreti celant calles, & [s] myrtea circùm*
*Sylva tegit: [t] curæ non ipſâ in morte relinquunt.*
*His [u] Phædrã, Procrinq; locis, mœſtamq; Eriphylen,*
*Crudelis [x] nati monſtrantem vulnera cernit:*
*Evadnemque & [y] Paſiphaën: his Laodamia*
*It comes, & juvenis quondã, nunc fœmina, [z] Cæneus,*
*Rurſus & in veterem fato revoluta figuram.*

a) Qui interierant primo limine & ingreſſu vitæ eos ſtatuit in primo limine; qui etiam ante Solis exortum efferrebantur ad funus.

b) Vitæ dulcedine nondum guſtata.

c) Parœmia, tanquam à nutricis lacte, ab incunabulis.

d) Fatalis, funeſta, Sole nondum exorto.

e) Immatura morte, vel triſti.

f) Anaſtrophe. Et Ellipſis verbi: viſi ſunt.

g) Apud Romanos à judicibus ſortes ducebantur, quæ inter alia ſignificata pro judicum ſuffragiis, vel ore editis, vel in urnam miſſis, accipiuntur.

h) Qui judiciis publicis apud veteres Romanos præerat, quæſitor, per ſyncopen quæſtor dicebatur, à quærendo, inquirẽdo de crimine. Hunc Cicero vocat aliquando Prętorem, aliquando Quæſtionis judicem.

i) Jovis filius, rex Cretæ, in vivis juſtiſſimus unus, quem eapropter Pluto judicem rerũ capitalium conſtituit.

k) Umbrarum, ad cognoſcendum & teſtandum.

l) Obliquè notat Catonem Uticenſem, Brutum, & Lucretiam, & ſi qui alii vitam profundere, quàm turpitudine aut ignominia deformati vivere, maluerunt.

m) In vita, quantumvis miſera & ærumnoſa.

n) Alii legi volunt innabilis, qſ. non navigabilis, vel irremeabilis. o) Obſtringit, impedit. p) Numerus certus pro incerto. Novenarius numerus à veteribus pro qualibet multitudine uſurpari ſolebat. q) A luctu per tropum, quòd illi, qui propter turpem libidinem ſibi manum intulere, ibi crucientur. r) Metaphora à corpore ad animum, in nomine & verbo. s) Myrtus Veneri ſacra eſt, unde myrteam ſylvam amantibus tribuit. t) Ex amoribus natæ, quibus marceſcunt præteritæ libidinis recordatione. u) Filia Minois poſterioris, uxorque Theſei. x) Alcmeonis, qui id juſſus erat à patre Amphiarao. y) Vide ſupra, quæ de operibus Dædali habet Poëta. z) Fabulam Cænei vide lib. 12. Metamorph.

Inter

Eventus apud inferos eſt perluſtratio:

- I. Limbi, tanquam loci indifferentis, ubi
  - 1. Puſilanimes mortui, vel
    - 1. Minùs principales, ut
      - 1. Infantes, quorum
        - 1. *vagitus & fletus per expolitionem.*
        - 2. *caſus per pathopœiam à contrariis*
          - 1. *vitæ dulcedine.*
          - 2. *mortis amaritudine.*
      - 2. Innocentes
        - 1. *à mortis indignitate.*
        - 2. *à ſortis æquitate.*
        - 3. *à judicis gravitate*
          - 1. *à nomine, Minos.*
          - 2. *ab officio,*
            - 1. *movet urnam.*
            - 2. *convocat umbras.*
            - 3. *diſcit crimina.*
      - 3. Αὐτόχειρες
        - 1. *ab adjuncta*
          - 1. *mœſtitia.*
          - 2. *innocentia.*
        - 2. *ab impulſiva, tædio vitæ.*
        - 3. *ab effectu ſeu voto perferendi inter vivos quasvis ærumnas.*
        - 4. *à contrario obſtaculo,*
          - 1. *Fatorum neceſſitate.*
          - 2. *Stygis diritate,*
            - 1. *ab adjuncto.*
            - 2. *ab effecto.*
      - 4. Amantes, *q deſcribuntur*
        - 1. *à ſubjecto loco, cujus notatur*
          - 1. *latitudo.*
          - 2. *nomen.*
        - 2. *à cauſa mortis, amoris inſania & impatientia;*
        - 3. *ab adjuncta*
          - 1. *obſcuritate, cujus cauſa*
            - 1. *ſecreti calles.*
            - 2. *myrtea ſylva.*
          - 2. *curarum perpetuitate.*
        - 4. *à diſtributione*
          - 1. *Phædra privigni concubitu fruſtra petito ſuſpendio vitam finiit.*
          - 2. *Procris à marito Cephalo interfecta ob tentatam pudicitiam.*
          - 3. *Eriphyle aureo monili corrupta, virum prodidit, interfecta à filio.*
          - 4. *Evadne Capanei mariti morte audita ſtupore diriguit.*
          - 5. *Paſiphaë tauri amore capta.*
          - 6. *Laodamia Proteſilai mariti mortui amplexibus expiravit.*
          - 7. *Cænemb is ſexum mutaſſe fingitur.*
    - 2. Principalis Dido. *vid. ſeq.*
  - 2. Heroës cæſi.
- II. Tartari. } *vid. ſeqq.*
- III. Elyſii. }

*Inter quas [a] Phœniſſa [b] recens à vulnere Dido*
*[c] Errabat ſylvâ in magnâ; quam [d] Trojus heros,*
*Ut primùm juxtà ſtetit, agnovitque per umbram*
*Obſcuram (qualem [e] primo quis ſurgere menſe*
*Aut videt, aut vidiſſe putat per nubila Lunam)*
*Demiſit lachrymas, dulcique affatus amore eſt:*
*Infelix Dido, [f] verus mihi nuntius ergo*
*Venerat, [g] exſtinctam, ferroque extrema ſequutam,*
*[h] Funeris heu tibi cauſa fui: per ſidera juro,*
*Per ſuperos, & ſi qua [i] fides tellure ſub ima eſt:*
*Invitus, regina, tuo de littore ceſſi:*
*Sed me juſſa Deûm, quæ nunc has ire per [k] umbras*
*Per loca ſenta ſitu cogunt, noctemq; profundam,*
*Imperiis egêre ſuis: nec credere quivi,*
*Hunc [l] tantum tibi me diſceſſu ferre dolorem.*
*Siſte gradum, teque aſpectu ne ſubtrahe noſtro.*
*Quem fugis? [m] extremũ fato quod te alloquor, hoc eſt.*
*Talibus Æneas [n] ardentem, & [o] torva tuentem*
*[p] Lenibat dictis animum, [q] lacrymasque ciebat.*
*Illa ſolo fixos oculos averſa tenebat:*
*[r] Nec magis incepto [s] vultum ſermone movetur,*
*Quàm ſi dura ſilex, aut ſtet [t] Marpeſia cautes.*
*Tandem proripuit ſeſe, atque inimica refugit*
*In nemus umbriferum: conjux ubi [u] priſtinus illi*
*[x] Reſpondet curis, æquatque Sichæus amorem.*
*[y] Nec minus Æneas caſu percuſſus iniquo,*
*Proſequitur lacrymans longè, & miſeratus euntẽ eſt.*
*Inde*

a) Phœnicum regis filia.
b) Recenti vulnere, vel recenter ſibi illato.
c) Quia injuſſu Proſerpinæ, crine flavo nondum amputato, è corporis cuſtodia emigraverat.
d) Periphraſis Æneæ.
e) Menſis initio, prima menſis parte, in novilunio.
f) Mercurius, qui dixerat: illa dolos, dirumq; nefas ſub pectore vertit, certa mori.
g) Te manus tibi ipſi violentas injeciſſe.
h) Mortis. Pathos à cauſa.
i) Si modò apud inferos eſt jusjurandum, quod obliget fidem juratorum. Styx certè Deorum jusjurandum inviolabile.
k) Exaggerat difficultatẽ itineris expolitione à natura locorum.
l) Ut ex eo necem tibi ipſa conſcires.
m) Cui nimirum Divorum voluntate deſcendendi ad inferos incubuerit neceſſitas, ad quos non ampliùs ſit rediturus: quapropter extremum ejus conveniendi habitura ſit copiam.
n) Ira inflammatam.
o) Enallage partis, pro torvè.
p) Archaiſmus, pro leniebat.
q) Ciere fruſtra tẽtabat Didoni.
r) Jure talionis, ſicut ipſe fecerat antea Æneas: im̃ota tenebat lumina. lib. 4.
s) Vultu, i.e. ſecundum vultũ, ſynecdoche.
t) Marpeſſus in inſula Paro mons ſaxeus.
u) Prior maritus Sichæus.
x) Pari affectione diligit. Alii, par eſt mortis ſimilitudine.
y) Nihilominus Æneas externo habitu internum erga Didonem prodit affectum.

**Dido *deſcribitur***

- I. ab adjuncto, vulnere *recenti*.
- II. à ſubjecto loco, *errabat in ſylva magna*.
- III. ab objecto Æneæ alloquio, *cujus*
  - 1. Impulſiva
    - *1. externa eſt Didonis agnitio per comparationem, cujus*
      - *1. antecedens: talis Dido viſa eſt Æneæ.*
      - *2. conſequens: qualis Luna nova per nubes ſublucet.*
    - *2. interna, magnus amor, quem lachrymis prodebat.*
  - 2. Forma, *cujus*
    - *1. Exordium, ab effectu commiſerationis ob infelicitatem.*
    - *2. Propoſitio: verè te video jam indigna morte peremptam.*
    - *3. Confirmatio ex ſtatu aſſumptivo conſtat*
      - *1. Confeſſione per exclamationem: heu mortis tibi cauſa fui.*
      - *2. Purgatione, quæ conſtat*
        - *1. juramenti ſanctitate, per*
          - *1. ſidera. 2. ſuperos. 3. inferos.*
        - *2. fatali neceſſitate: invitus à te diſceſſi*
      - *3. Remotione culpæ in Deos, à quibus coactus iret per*
        - *1. umbras. 2. loca ſqualida.*
        - *2. noctem profundam.*
      - *4. Comparatione, è duobus malis minus elegi, diſceſſum, quem non metuebam tibi allaturum mortem.*
    - *4. Clauſula conſtat deprecatione*
      - *1. ut conſiſtat, nec ſe ſubtrahat aſpectu.*
      - *2. ne fugiat, ſed alloquium fato conceſſum audiat.*
  - 3. Effectum *amplificatur contrariis,*
    - 1. Didonis *inflammatione, ex ſigno torvi aſpectus.*
    - 2. Æneæ *conſolat. qua conabatur lachrymas ciere.*
- IV. ab effecto effugio *cujus*
  - *1. impulſus eſt obſtinatio animi irati per*
    - *1. expolitionem à ſignis*
      - *1. oculis averſis.*
      - *2. vultu immoto.*
    - *2. comparationem ſilicis & cautis.*
  - *2. actus à termino*
    - *1. à quo, è conſpectu Æneæ.*
    - *2. ad quem, nemus*
      - *1. ab adjuncta umbra.*
      - *2. à præſentia Sichæi, cujus amor expolitione conſtat.*
  - *3. effectus, Æneæ*
    - *1. perturbatio.*
    - *2. inſecutio flebilis.*
    - *3. commiſeratio.*

*Inde [a] datum molitur iter: namque arva tenebant*
*Vltima, quæ bello clari [b] ſecreta frequentant:*
*Hic illi occurrit [c] Tydeus, hic inclytus armis*
*[d] Parthenopæus, & [e] Adraſti [f] pallentis imago.*
*Hîc multùm [g] fleti ad ſuperos, belloque [h] caduci*
*Dardanidæ: quos ille omnes longo ordine cernens,*
*Ingemuit: [i] Glaucumque, [k] Medontaque, [l] Therſilochumque,*
*Tres [m] Antenoridas, [n] Cererique ſacrum Polybetem;*
*Idæumque, [o] etiam [p] currus, etiam arma tenentem.*
*Circumſtant animæ dextra, lævaque frequentes.*
*Nec vidiſſe ſemel ſatis eſt: juvat usque [q] morari,*
*Et [r] conferre gradum, & veniendi diſcere cauſas.*
*At Danaûm proceres, Agamemnoniæq; [s] phalanges,*
*Vt videre virum, fulgentiaque arma per umbras,*
*Ingenti [t] trepidare metu: pars [u] vertere terga,*
*Ceu [x] quondam petiêre rates: pars tollere vocem*
*Exiguam; [x] inceptus clamor fruſtratur [z] hiantes.*

*Atque*

a) Pergit cœptum iter facere, à fatis conceſſum.

b) A reliquis propter virtutem heroicam, & fortitudinem ſemota ac ſeparata.

c) Ænei Ætolorum regis filius à Menaliſppo in bello Thebano graviter vulneratus, haud multò pòſt exſorpto Menalippi per Amphiaraũ obtruncati cerebro furore agitatus interiit.

d) Minalionis & Atalantæ filius.

e) Thelaonis & Eurynomi filius, Tydei & Polynicis ſocer.

f) Umbra pallida Adraſti. Hypallage.

g) Luctu & exequiis honorati à vivis propter virtutem & fortitudinem.

h) Mortui; à cadendi ſignificatione, unde etiam cadaver.

i) Antenoris filium ab Agamemnone occiſum. Plures fuere Glauci proverbiis clari.

k) Trojanus nobilitate clarus. Erat & alius Medon Oilei & Rhenes notus. Hunc ab Achille interfectum canit Homerus.

m) Antenoris filios. Plures hi fuere, ſed inter alios tres hi, Polybus, Aganor, Acamas, cum Hectore, Polydamante, & Ænea in pugnam deſcendiſſe feruntur.

n) Sacerdotem Cereris.

o) Geminatum Etiam pro duplici Et poſuit.

p) Alius fuit Idæus Præco Trojanus, qui cum Talthybio ſuorum juſſu pugnam inter Hectorem & Ajacem diremit: ſed volens aurigam non præconem ſignificare, currum & arma tenentem fingit.

q) Immorari ſpectaculo vivi hominis, vel morari illius iter, quod ſi non poſſent unà tendere, cauſam illius deſcenſus exploraturæ.

r) Propiùs accedere.

s) Phalanges vocat hic agmina peditum.

t) Enallage modi.

u) Metaphora à re militari.

x) De fuga Græcorum ad naves ſcribit Homerus. Eandem fugam hic conſpecto Ænea umbris Græcorum trepidantibus tribuit Poëta; etenim priſtinum ingenium apud inferos umbræ credebantur ſervare.

y) Imperfectus relinquitur.

z) Conantes loqui, ſed vocis organis deſtitutas.

- Cæſi Heroës *ſunt vel*
  - I. Minus principales, *quorum narratio conſtat*
    - 1. Tranſitione, *qua indicatur itineris cœpti continuatio.*
    - 2. Topotheſia, *qua dicuntur inhabitare arva*
      - *1. ordine ultima.*
      - *2. ſitu remota.*
    - 3. Diſtributione, *ratione* belli
      - 1. Thebani
        - 1. Tydeus *Pater Diomedis, gener Adraſti.*
        - 2. Parthenopæus *rex Arcadum.*
        - 3. Adraſtus *rex Sicyoniorum & Argivorum.*
      - 2. Trojani, *per*
        - *1. Pathopœiam*
          - *1. à luctu, quo fuerunt defleti apud ſuperos.*
          - *2. ab interitu, ceciderunt in bello.*
          - *3. ab Æneæ gemitu, cujus impulſiva conſpectus ordinatus.*
        - *2. Congeriem*
          - 1 Glaucus, Medon, Therſilochus.
          - 2. *Tres filij* Antenoris & Polybetes.
          - 3. Idæus *auriga Priami tenens currum & arma.*
        - *3. Hypotypoſin animarum*
          - *1. circumſtantium undiq; à*
            - *1. dextris.*
            - *2. ſiniſtris.*
          - *2. ſpectantium diu & ſæpe.*
          - *3. congredientium.*
          - *4. compellantium de cauſa adventus.*
        - *4. Contentionem, à contrario fuga Græcorum,*
          - *1. à ſubjectis perſonis, quæ ſunt*
            - *1. Græcorum duces.*
            - *2. Agamemnonis phalanges.*
          - *2. ab impulſiva,*
            - *1. externa, conſpectu Æneæ armati.*
            - *2. interna, metu.*
          - *3. à forma, per comparationem priſtinæ fugæ.*
          - *4. ab adjuncto*
            - *1. clamandi conatu.*
            - *2. irrito hiatu.*
  - II. Principalis, Deiphobus. *Vid. ſeq.*

*Atqui hic [a] Priamiden laniatum corpore toto*
*[b] Deiphobum vidit, lacerum crudeliter [c] ora,*
*Ora, manusq́ue ambas, [d] populataq́; tempora [e] raptis*
*Auribus, & [f] truncas [g] inhoneſto vulnere nares.*
*Vix adeò agnovit pavitantem, & dira [h] tegentem*
*[i] Supplicia: & notis compellat vocibus ultrò:*
*Deiphobe armipotens, genus alto à ſanguine Teucri,*
*Quis tam crudeles [k] optavit ſumere pœnas!*
*Cui tantum [l] de te licuit! mihi fama ſuprema*
*Nocte [m] tulit, feſſum vaſtâ te cæde Pelasgûm*
*Procubuiſſe ſuper confuſæ ſtragis acervum:*
*Tunc egomet tumulum Rhœteo in littore [n] inanem*
*Conſtitui, & magnâ manes ter voce vocavi.*
*Nomen & arma [o] locū ſervant: [p] te, amice, [q] nequivi*
*Conſpicere, & patria decedens ponere terra.*

a) Priami filiū. Antonomaſia.
b) Qui mortuo Paride Helenam duxerat.
c) Synecdoche & Anadiploſis.
d) Deformata per metaphorā.
e) Abſciſſis, amputatis.
f) Truncatas.
g) Turpi; aut indigno, quòd indecorum eſſet, regium filium eo modo contruncare.
h) Tegere conantem; neque enim privatus manibus tegere poterat.
i) Rara locutio, & ſententia, & conſtructione; Metalepſis, pro vulnera ſupplicii loco inflicta: nam mutilata membra, præciſas nares, auresq́ue, aliasq́ue ejusmodi pœnas maritorum ira exigit ab adulteris.
k) Voluit, vel auſus fuit.
l) Pro In te. Emphaticè & patheticè.
m) Retulit, ſimplex pro compoſito.
n) Cenotaphium erigi ſolebat iis, quorum corpora haberi non poterant: erat autē ſepulchrum honorarium ſeu imaginarium.
o) Hypallage. Locus ſervat nomen & arma.
p) Corpus tuum. Græcorum more corripuit vocalem longam in fine, ſequente brevi ſyllaba.
q) Quaſi dicat: nuſquam potui in tanta cæſorum ſtrage tuum cadaver invenire, ac patrio ſolo condere, ob hoſtium importunitatem.

Deiphobi theoria *conſtat:*

- I. Antecedenti Æneæ compellatione, *cujus*
  - 1. Impulſiva *eſt Deiphobi*
    - *1. conſpecti deformitas*
      - *1. in genere, totius Corporis laniatio, per pathopœiam.*
      - *2. in ſpecie, mutilatio*
        - *1. oris & manuum.*
        - *2. temporum & aurium.*
        - *3. narium.*
    - *2. agnoſcendi difficultas ob ejus*
      - *1. metum.*
      - *2. conatum tegendi plagas.*
  - 2. Adjunctum *eſt idioma ſermonis notum.*
  - 3. Forma cōſtat
    - *1. Exordio, quo captat benevolentiam à perſona & genere Deiphobi.*
    - *2. Propoſitione interrogatoria per expolitionem*
      - *1. quis tam fuit crudelis?*
      - *2. cui tantum in te licuit?*
    - *3. Narratione famæ de ejus morte*
      - *1. ab adjuncto tempore, ſuprema nocte.*
      - *2. à cauſa efficiente, defatigatione ex cæde Græcorum.*
      - *3. à ſubjecto loco, procumbens ſuper ſtragem confuſam.*
    - *4. Confirmatione ab honeſto ſeu pio, ſolutis juſtis funebribus per diſtribut. ceremoniarum,*
      - *1. Cenotaphij erectio in littore Rhetæo.*
      - *2. Maniū reiterata vocatio.*
      - *3. Nominis & armorum affixio.*
    - *5. Occupatione, à cauſa, cur non potuerit abſolutum præſtare officium:*
      - *1. antecedens: non potuit te conſpicere.*
      - *2. conſequens: ideò nec rectè ſepelire.*
- II. Subſequenti Deiphobi reſponſione. } *vid. ſeq.*
- III. Conſequenti Sibyllæ interpellatione. }

[a] *Atque hic Priamides:* [b] *Nihilô* [c] *tibi, amice, relictum eſt:*
*Omnia* [d] *Deiphobo ſolviſti, & funeris* [e] *umbris:*
*Sed me fata mea, & ſcelus exitiale* [f] *Lacænæ*
*His* [g] *merſêre malis: illa hæc monimenta reliquit.*
*Namque ut* [h] *ſupremam* [i] *falſa inter gaudia noctem*
*Egerimus, noſti: & nimium meminiſſe neceſſe eſt:*
*Quum fatalis equus ſaltu ſuper ardua venit*
[k] *Pergama, & armatũ peditem* [l] *gravis attulit alvo.*
*Illa chorum ſimulans,* [m] *evantes* [n] *orgia* [o] *circùm*
*Ducebat Phrygias:* [p] *flammam media ipſa tenebat*
*Ingentem, & ſumma Danaos ex arce vocabat.*
*Tum me confectum curis, ſomnoque gravatum*
*Infelix habuit thalamus: preſſitque jacentem*
*Dulcis & alta quies, placidæque ſimillima morti.*
[q] *Egregia interea conjux arma omnia tectis*
*Emovet, & fidum capiti ſubduxerat enſem:*
*Intra tecta vocat Menelaum, & limina pandit.*
Scilicet id magnum ſperans fore munus amanti,
Et famam exſtingui veterum ſic poſſe [r] malorum.
*Quid moror? irrũpunt* [s] *thalamo, comes additur unà*
*Hortator* [t] *ſcelerum* [u] *Æolides. Dii talia Grajis*
[x] *Inſtaurate, pio ſi pœnas ore repoſco.*
*Sed te qui vivum caſus, age fare viciſſim,*
*Attulerint; pelagine venis erroribus actus?*
*An monitu Divûm? an quæ te fortuna fatigat,*
*Ut triſtes ſine* [y] *Sole domos, loca* [z] *turbida, adires?*

a) Alii habent: Ad quæ Priamides.
b) Ellipſis verbi: reſpondit.
c) Pro A te. De funeralium, juſtorumq; officio, ſcrupulum Æneæ eximit, ut ad ſequentia attentiorem reddat.
d) Enallage perſonæ, pro Mihi amico tuo.
e) Non enim funus ibi potuit eſſe, ubi nec cadaver erat.
f) Antonomaſia; Laconicæ, Spartanæ.
g) Metaphora ab aquis.
h) Qua durateus equus armatos in urbem Trojanam effudit, qui reliquis è Tenedo ſolventib⁹ portas aperirent.
i) Quippe perſuaſi, hoſtem abiiſſe.
k) Mœnia Trojæ.
l) Metaphora a prægnantibus.
m) Bacchantes, à Libero patre, qui Evan dicitur; vel vociferantes Evan.
n) Bacchi ſacra ab ira & furore dicta.
o) Tmeſis.
p) Facem, aut funale.
q) Ironia amara.
r) Adulteriorum.
s) Pro in thalamum.
t) Pro ad omnia ſcelera.
u) Ulyſſes, Æoli nepos.
x) Reddite, rependite; alioqui inſtaurare eſt propriè reficere, atque integrare à vetuſto Stauro.
y) Inferorũ loca Soli inacceſſa.
z) in quibus ſontium pœnis & ſuppliciis omnia turbantur.

Hac

Deiphobi reſponſio conſtat:

- I. Exordio, à Commendatione pietatis Æneæ per
  - 1. ἄϱγον, nihil officij à te intermiſſum.
  - 2. ϑεῖον, ſed omnia ſolviſti mihi juſta.
- II. Propoſitione, de mortis ſuæ cauſa, quæ eſt
  - 1. moleſta Fatorum neceſſitas.
  - 2. ſceleſta Helenæ impietas per expolitionem: illa mihi hæc mala contraxit, hæc monumenta reliquit.
- III. Narratione, de mortis occaſione, quæ eſt
  - 1. Trojanorum oſcitantia, ab oppoſitis:
    - 1. falſo gaudio, ab adjuncta
      - 1. ſuprema nocte.
      - 2. atteſtatione Æneæ.
    - 2. fatali equo, cujus
      - 1. effectus, ſaltus ſupra muros.
      - 2. adjuncta alvus impleta armatis.
  - 2. Helenæ fraudulentia, à dato ſigno:
    - 1. ab occaſione inſtituti chori, in honorem Bacchi.
    - 2. ab inſtrumentali, face ingenti.
    - 3. à fine, vocandi retro Græcos.
  - 3. Deiphobi ſomnolentia, cujus
    - 1. Cauſa, ſunt curæ.
    - 2. Subjectus locus per pathos, thalamus infelix.
    - 3. Effectus per interpretationem; preſſit me quies
      - 1. dulcis & profunda.
      - 2. morti ſimillima.
- IV. Confirmatione, de mortis cauſa
  - 1. Adminiſtra, Helena, cujus
    - 1. adjuncta malitia exprimitur Ironia.
    - 2. effectus
      - 1. remotio armorum,
        - 1. in genere.
        - 2. in ſpecie gladij.
      - 2. intromiſſio mariti,
        - 1. ab effecto finito, apertis oſtiis.
        - 2. à cauſa finali,
          - 1. mariti reconciliatione.
          - 2. famæ recuperatione.
  - 2. Principali, Menelao, cujus irruptio
    - 1. à ſubjecto loco, thalamo.
    - 2. ab adjunctis ſociis,
      - 1. in genere, Græcis.
      - 2. in ſpecie, Vlyſſe ſceleroſo.
- V. Clauſula, per
  - 1. Exclamationem, cujus
    - 1. Protaſis eſt imprecatio debitæ pœnæ pro injuria illatæ.
    - 2. Ætiologa, ab honeſto ſeu pio.
  - 2. Transitionem ad reciprocam quæſtionem, de acceſſus cauſa
    - 1. impulſiva
      - 1. in genere, quis caſus vivum te huc tulit?
      - 2. in ſpecie, num
        - 1. errore pelagi.
        - 2. monitu Deorum.
        - 3. alia fortuna.
    - 2. finali, qua intentione veniſti in hæc loca
      - 1. tenebroſa.
      - 2. turbida.

*Hac[a] vice ſermonum[b] roſeis Aurora quadrigis*
*Jam medium ætherio curſu[c] trajecerat axem;*
*Et fors omne[d] datum[e] traherent per[f] talia[g] tempus:*
*Sed comes[h] admonuit, breviterq́; affata Sibylla eſt:*
*Nox[i] ruit, Ænea, nos flendo ducimus horas.*
*Hic locus eſt, partes ubi ſe via findit in ambas.*
*Dextera, quæ Ditis magni ſub mœnia tendit,*
*Hâc iter[k] Elyſium nobis: at læva malorum*
*Exercet pœnas, & ad impia[l] Tartara mittit.*
*Deiphobus[m] contra: Ne ſævi, magna ſacerdos.*
*Diſcedam:[n] explebo numerum, reddarq́ue tenebris.*
*[o] I decus i noſtrum:[p] melioribus utere fatis.*
*[q] Tantum effatus, & in[r] verbo veſtigia torſit.*

*Reſpicit*

a) Dum alter alterum viciſſim interrogat.

b) Periphraſtica conticinii nocturni deſcriptio: Aurora, ut Sol, vehi quadrigis fingitur, & lucẽ terris inducere.

c) Jam ultra medium noctis erat, apud mortales. Diſputant hic Commentatores de civilis diei initio.

d) Conceſſum ad perluſtrationem Tartari, & pervagationem Elyſii.

e) Enallage temporis, pro traxiſſent.

f) Per talia colloquia diem transegiſſent.

g) Viginti quatuor horas ſcil.

h) Urget ad abeundum. Nam hæc nocturna inferorum ſacra ſpatio viginti quatuor horarum peragi neceſſe erat: unde qui huc deſcendebant, noctu ſe huc præcipitabant, ac noctu rurſum hinc emergebant.

i) Labitur, elabitur: appetit dies. Ruere ad pomeridianum tempus refertur apud mortales, quo exacto nox inſtare dicitur.

k) Ellipſis præpoſitionis pro In Elyſium. Eſt autem Elyſium beatorum animorum domicilium, quò corpore exuto migrare dicebant gentiles, eorumq́ue Poëtæ & Philoſophi.

l) Metonymia ſubjecti pro adjuncto. Ubi ſcil. puniuntur impii.

m) Ellipſis, ſcil. locutus eſt.

n) Sunt qui per hyſteron proteron exponunt: reddar tenebris, & ſic implebo numerum umbrarum. Alii ſic: minuam numerum veſtrum. Alii per numerum intelligunt fatum & fatalia vitæ tempora, quibus impletis corpus fatiſcit; & numerorum certam rationem animas ſociare corporibus ſtatuebant Platonici: quare ad mentem Poëtæ propiùs accedere videntur, qui de numeris hoc denariis, centenariis, millenariis intelligunt, ex doctrina Platonica, quibus exactis purgantur animæ, & ad vitam revertuntur.

o) Valedicendi formula: Vale & vive feliciter. Verbi repetitio habet mirum pathos.

p) Quàm quibus ego ſum uſus.

q) Hoc duntaxat locutus eſt, vel dixit.

r) Simul atque hæc verba locutus fuerat, abiit: vel adhuc valedicens torſit pedem ad diſcedendum.

# TAB. XXV.

**Sibyllæ interpellatio conſtat**

- I. Impulſiva, *quæ eſt*
  - *1. Sermonũ viciſſitudo protracta usq; ad conticinium, per proſopop. Auroræ, à curſu*
    - *1. inſtrumentis, quadrigis.*
    - *2. ſubjectis terminis.*
  - *2. Colloquij longitudo metuenda, ab adjuncto, tempore conceſſo.*
- II. Fine, *qui eſt admonitio brevis, ad continuandum iter.*
- III. Forma, *videl. rationibus*
  - *1. à temporis nocturni brevitate.*
  - *2. à colloquij flebilis vanitate.*
  - *3. ab itineris longinquitate, ratione*
    - *1. Partium duarum, unde erat bivium.*
    - *2. Situs*
      - *1. dextri, cujus terminus*
        - *1. proximus, regia Plutonis.*
        - *2. remotus diverticulum Elyſii.*
      - *2. ſiniſtri, ubi ſupplicia per expolitionem.*
- IV. Effecto, *quod eſt Deiphobi valedictio, quæ cõſtat*
  - *1. Affatu*
    - *1. Sibyllæ, ubi*
      - *1. Propoſitio: noli iraſci.*
      - *2. Ratio, per expolitionem: quia ſum abiturus.*
    - *2. Æneæ, quem jubet*
      - *1. vadere.*
      - *2. feliciùs valere.*
  - *2. Abitu, per tranſitionem ab adjuncta celeritate.*

[a] *Reſpicit Æneas ſubitò, & ſub rupe ſiniſtrâ*
*Mœnia lata videt, triplici circumdata muro:*
*Quæ rapidus flammis ambit torrentibus amnis*
*Tartareus Phlegethon, torquetque ſonantia ſaxa.*
*Porta adverſa, ingens, ſolidoq;* [c] *adamante columnæ:*
*Vis ut nulla* [d] *virum, non ipſi exſcindere ferro*
*Cœlicolæ valeant: ſtat ferrea turris ad auras:*
*Tiſiphoneque ſedens,* [g] *palla* [h] *ſuccincta* [i] *cruenta,*
*Veſtibulum* [k] *inſomnis ſervat noctesque diesque.*
*Hinc* [l] *exaudiri gemitus, & ſæva ſonare*
[m] *Verbera: tum* [n] *ſtridor ferri, tractæque catenæ.*
*Conſtitit Æneas, ſtrepitumque exterritus* [o] *hauſit:*
Quæ ſcelerum facies? (*ô virgo effare*) quibusve
Urgentur pœnis? quis tantus plangor ad auras?

Tum

a) Tranſit Poëta ad enarrationem pœnarum, quas impii in Tartaro dant, pro ſui quiſque delicti ratione.

b) Nihil iſthac opus eſt cuſtodia, ubi ſunt manes & umbræ; ſed hypallageticè animarum domicilia ad exempla Reip. humanæ delineare voluit.

c) Vocabulum eſſe volunt origine Græcum, à privativa particula α, & verbo δαμάω, δάμνω, vel δαμνάζω, vel δάμνυμι, quòd nulla refrangi poſſit ille lapillus, adeò ut malleos & incudes diſſilire faciat. Hircino tamẽ eoque calido ac recenti ſanguine emolliri tradunt, ſecreta quadam naturæ ratione, occultaque qualitate.

d) Syncope: reſpicit ad virtutam, non ſexum.

e) Divi, cœlum incolentes. Hyperbole.

f) Furiarum maxima, à cædibus plectendis ſic dicta, τίσις enim ultionem, & φόνος cædem ſignat.

g) Veſtis erat longa ad terram uſque defluens.

h) Quaſi parata cùm ad excubias, tum ad ſumendum de ſceleratis ſupplicia.

i) Sanguine & ſanie excarnificatorum perfuſa. Signum pro ſignato.

k) Pervigil. Nunquam enim ita quieto ſunt animo facinoroſi, quin pœnarum metu & ſcelerum conſcientia angantur.

l) Enallage modi, ut & in ſequenti ſonare.

m) Quibus in facinoroſos perpetuò ſæviunt furiæ.

n) Propriè is ſonus eſt, quem funes nautici inter ſe colliſi efficiunt; ad alia tamen transfertur, ad denges, ferrum, nervos, aliaque ſimilia.

o) Scil. auribus hauſit. Periphraſis pro audivit.

Tartari *notanda eſt*

- I. Topotheſia:
  - 1. *à* Subjecta *loci parte, rupe ſiniſtra.*
  - 2. *à* Cauſis *conſervātibus, quæ ſunt*
    - 1. Mœnia, *quæ*
      - *1. circundat murus triplex.*
      - *2. circumfluit Phlege-thon, qui deſcribitur*
        - *1. ab adjunctis flāmis igneſcentibus.*
        - *2. ab effecto, volvit ſaxa.*
    - 2. Porta
      - *1. à quantitate ingenti.*
      - *2. à firmitate*
        - *1. ex materia columnarum adamantina.*
        - *2. ex vi fruſtra oppoſita*
          - *1. hominum.*
          - *2. Deorum.*
    - 3. Turris
      - *1. à materia, ferrea.*
      - *2. ab altitudine, prodigioſa.*
    - 4. Cuſtos, *Tiſiphone,*
      - *1. à ſitu, ſedens.*
      - *2. ab habitu, palla cruenta.*
      - *3. ab officio, cuſtodia*
        - *1. inſomni.*
        - *2. perenni.*
  - 3. *ab* Adjuncto
    - *1. Gemitu damnatorum.*
    - *2. Sonitu*
      - *1. verberum.*
      - *2. ferri.*
      - *3. catenarum.*
  - 4. *ab* effecto, *Ænea*
    - *1. Perterrefactione*
      - *1. ab adjuncto ſitu: conſtitit.*
      - *2. ab impulſiva: audito ſtrepitu.*
    - *2. Quæſtione, quâ ſciſcitatur*
      - *1. ſpecies flagitiorum.*
      - *2. genera ſuppliciorum.*
      - *3. intervalla plangorum.*
- II. Theoria. *vid. ſeq.*

*Tum vates ſic orſa loqui: Dux inclyte Teucrûm,*
Nulli fas [a] caſto [b] ſceleratum inſiſtere [c] limen:
*Sed me, cùm lucis [d] Hecate præfecit Avernis,*
*Ipſa [e] Deûm pœnas docuit, perque omnia [f] duxit.*
[g] *Gnoſſiꝰ hæc [h] Rhadamanthꝰ habet duriſſima regna:*
[i] *Caſtigatque, auditque dolos: ſubigitque fateri,*
Quæ quis ad ſuperos, [k] furto lætatus inani,
Diſtulit in ſeram commiſſa [l] piacula (mortem.
[m] *Continuò ſontes ultrix accincta flagello*
*Tiſiphone quatit inſultans: torvosque ſiniſtra*
*Intentans angues, vocat agmina ſæva [n] ſororum.*
[o] *Tum demùm horriſono ſtridentes cardine ſacræ*
*Panduntur portæ: cernis, [p] cuſtodia qualis*
*Veſtibulo ſedeat? facies quæ [r] limina ſervet?*
*Quinquaginta atris immanis hiatibus [s] Hydra*
[t] *Sævior intus habet ſedem: tum Tartarus ipſe*
*Bis patet in præceps tantum, tenditque ſub umbras,*
*Quantus ad ætherium cœli ſuſpectus Olympum.*

*Hic*

a) Pio nulli datum eſt intrare, atque contueri, quæ in Tartaro geruntur.

b) Metonymicè continens pro contento; non enim ipſe abyſſi locus eſt ſceleratus, ſed flagitioſi, quibus eſt refertus.

c) Synecdochicè pro Tartari porta.

d) Antonomaſia, pro Proſerpina.

e) Quas Dii exigunt à ſceleratis.

f) Relatione, quia nulli caſto licebat ingredi.

g) Cretenſis, à Gnoſſo Cretæ urbe.

h) Cretæ rex juſtiſſimus, vel ut alii, Lyciæ, Jovis ex Europa filius, non tantum à Poëtis, ſed etiam à Platone perhibetur quæſtionem exercere apud inferos, crimina audire, cogere ad confeſſionem.

i) Polyſyndeton.

k) Crimine clàm admiſſo, ſed fruſtrà celato.

l) Scelera, fraudes, flagitia, in vivis non expiata.

m) Lata ſententia ſupplicia exequuntur Furiæ.

n) Megæram & Alecto, quas ab impetu, furore, & aſſiduitate ſupplicii, per amplificationem agmina vocat.

o) Dum hæc loquitur Sibylla, diræ atque execrandæ Tartari portæ panduntur, ſtridore horrendo; illa pergit: vidésne Ænea, quales hic cuſtodes?

p) Metonymicè, pro qualis cuſtos.

q) Tiſiphone terribilis.

r) Portas, per Synecdochen.

s) Propriè hydra eſt ſerpens aquaticus, omnium fertiliſſimum anguis genus, cujus ſemen niſi incendio exureretur, fœcunditas modum excederet; Lerneæ mentio facta eſt ſupra.

t) Quàm illa, quæ limina ſervat, Tiſiphone.

Tartari Theoria *conſtat:*

- I. Judicii norma, *cujus* narratio *conſtat:*
  - 1. Efficiente, *Vate Sibylla.*
  - 2. Captatione
    - *1. Benevolentiæ, à perſona Æneæ.*
    - *2. Attentionis, à prohibito introitu.*
    - *3. Docilitatis per occupationem, qua dicit ſe à Proſerpina*
      - *1. ſylvis infernalibus præfectam.*
      - *2. de pœnis doctam.*
      - *3. per tartara ductam.*
  - 3. Diſtributione, *ubi*
    - 1. Judicis gravitas
      - *1, ab adjuncto nomine & gente, Rhadamantus Cretenſis.*
      - *2. à ſubjecto, regno duriſſimo.*
      - *3. ab effecto,*
        - *1. cognoſcit cauſas.*
        - *2. inſtituit torturas*
          - *1. à fine veritatis extorquendæ.*
          - *2. à ſubjectis*
            - *1. culpā occultantibus.*
            - *2. pœnitentiā procraſtinantibus.*
    - 2. Vindicis atrocitas
      - *1. ab habitu, accincta flagello.*
      - *2. à nomine, Tiſiphone.*
      - *3. ab effectis per hypotyp.*
        - *1. dextra ferit, flagello.*
        - *2. ſiniſtra minatur angues.*
        - *3. vocat in auxilium Furias reliquas.*
    - 3. Carceris immanitas
      - *1. à portarum horribili ſtridore.*
      - *2. à terribili cuſtode*
        - *1. exteriore, veſtibuli per expolitionem.*
        - *2. interiore, hydra quinquaginta capitum.*
      - *3. ab ineffabili profunditate, per compar. imparia*
        - *1. majora, duplo profundior Tartarus.*
        - *2. minora, quam eſt altitudo Olympi.*
- II. Sontium culpa. *Vid. ſeq.*

*[a] Hic genus antiquum [b] Terræ, [c] Titania pubes,*
*Fulmine dejecti, fundo [d] volvuntur in imo.*
*Hic & Aloidas [e] geminos, [f] immania vidi*
*Corpora: [g] qui manibus magnum reſcindere cœlum*
*Aggreſſi, ſuperisque Jovem detrudere regnis.*
*Vidi & crudeles dantem [h] Salmonea pœnas.*
*Dum [i] flammas Jovis, & [k] ſonitus imitatur Olympi.*
*Quattuor hic invectus equis, & lampada quaſſans,*
*Per Grajûm populos, mediæque per [l] Elidis urbem*
*Ibat [m] ovans: divumque ſibi poſcebat honorem:*
*[n] Demens: qui [o] nimbos, & non imitabile fulmen,*
*Ære, & cornipedum curſu ſimularat equorum.*
*At pater omnipotens denſa inter nubila telum*
*[p] Contorſit (non ille [q] faces, nec fumea tædis*
*Lumina) præcipitemque immani [r] turbine adegit.*
*Nec non & [s] Tityon terræ omniparentis alumnum*
*Cernere erat: per tota novem cui jugera corpus*
*Porrigitur: roſtroque immanis vultur obunco*
*[t] Immortale jecur [u] tondens, fœcundaque pœnis*
*Viſcera, [x] rimaturq; epulis, habitatque ſub alto*
*Pectore: nec fibris requies datur ulla renatis.*
*Quid memorem [y] Lapithas, Ixiona, Pirithoumque,*
*Quos ſuper atra ſilex, jam jam lapſura [z] cadentiq;*
*Imminet aſſimilis: lucent [*] genialibus altis*
*Aurea fulcra toris, epulæq; ante ora paratæ*
*Regifico luxu: Furiarum maxima juxta*
*Accubat, & manibus prohibet contingere menſas:*
*Exſurgitq; facem attollens, atq; intonat ore.* Hic

a) In imo Tartari barathro ac abyſſo. b) Gigãtes & omnes monſtroſæ vaſtitatis homines antiqui Terra progenitos dicebant, ut & eos, quorum obſcura erat familia.
c) Titanum frater Saturnus regno expuliſſe fertur, quẽ filii reſtituere fruſtra conati ſunt.
d) Luctantur, excarnificantur.
e) Duos. Nam Poëtæ liberrimè diſtributivis pro cardinalib⁹ numeris ſolent abuti. Erant a. Othos & Ephiates nõ Aloëi, ſed verè Neptuni filii, ex Iphimedia Aloëi uxore.
f Maxima; nono n. ætatis anno ulnas novem longi, totidẽ cubitos lati fuiſſe traduntur.
g) Montẽ Oſſam Olympo aggreſſi ſunt ſuperimponere, inde ambobus Pelion accumulare, ut per eos aſcenſum in cœlum ſibi pararent.
h) Deucalionis fili⁹, vel ut alii, Æoli, Siſyphi frater.
i) Fulmen triſulcum Jovis telũ.
k) Tonitru. l) Piſam. Nam Elis ipſa eſt regio, in qua urbs iſta ſita erat. m) Glorians, jactabundus, triumphans.
n) Exclamatio in impietatem.
o) Nubes ventoſas.
p) Exprimit violentum jactus impetum. q) Uti Salmoneus facibus fulmen imitatur⁹.
r) Turbo propriè ventus validiſſimus & vorticoſus eſt obvia quæq; proſternens & deturbans. s) Jovis filium ex Elara, Orchomeni filia, quã à ſe compreſſam à Zelotypia Junonis in terra occultavit; hinc Terræ alumnum dictũ: Hic cùm Latonam de ſtupro appellaſſet, ſagittis transfix⁹ ab Apolline apud inferos dat pœnas libidinis, cujus ſedem jecur dicunt eſſe Mythologi.
t) In pœnas indies renaſcens. u) Tondẽdo paſcens volucrũ more. x) Diffindens, ſcrutat⁹ depaſcitur.
y) Gens Theſſaliæ barbara & ferox. z) Saxi pendentis & ruinã minantis naturã exprimit hypermeter.
*) Sumptu magnifico inſtructis, ad inſtar lectorum, qui nuptiis ſternuntur in honorem Genii. Alii hic Tantalum, alii Phinea innui volunt.

## TAB. XXVIII.

- *Sontium Culpa eſt vel*
  - I. Impietas in Deos, *videl.*
    - 1. θεομαχία, *ſive oppugnatio*
      - 1. Saturni, *quam perpetrarunt Titanes,*
        - *1. à genere, filÿ Terræ & Titani.*
        - *2. à pœna, fulmine dejecti in tartarũ.*
      - 2. Jovis, *quam tentarunt Gigantes*
        - *1. à genere, filÿ duo Aloëi.*
        - *2. à magnitudine ingenti.*
        - *3. ab effecto, conatu*
          - *1. ſubvertendi cœlum.*
          - *2. deturbandi Jovem.*
    - *2. θεομιμησία ſive ſtulta imitatio Salmonei, cujus:*
      - 1. proponitur
        - *1. Pœnæ gravitas.*
        - *2. Culpæ temeritas, imitatio*
          - *1. fulminis.*
          - *2. tonitru.*
      - 2. amplificatur
        - 1. Culpa
          - *1. à ſubjecto, quadriga vectus.*
          - *2. ab effecto*
            - *1. ardentes faces torſit.*
            - *2. p mediã urbem Elidis ivit*
          - *3. à fine, ut ſe oſtentaret Deum.*
          - *4. ab adjuncta ſtultitia, ab*
            - *1. objecto non imitabili.*
            - *2. inſtrumento*
              - *1. æneo ponte.*
              - *2. curſu equorũ.*
        - 2. Pœna
          - *1. ab efficiente, Iove.*
          - *2. à ſubjecto, inter denſas nubes.*
          - *3. ab inſtrumento p*
            - *1. θέσιν, torſit telũ fulmineũ.*
            - *2. ἄρσιν, non*
              - *1. faces.*
              - *2. tædas.*
    - *3. θεομοιχεία, ſive attentatio ſtupri Dearum*
      - 1. Tityonis
        - *1. à genere, Terræ filius.*
        - *2. ab ingenti magnitudine corporis per dimidium ſtadium exporrecti.*
        - *3. à tormentorum*
          - *1. efficiente vulture*
            - *1. ab adjuncta immanitate.*
            - *2. ab effecto, per expolitionem.*
            - *3. à ſubjecto, habitaculo.*
          - *2. adjuncta perpetuitate, ob viſcera renaſcentia.*
      - 2. Lapitharum
        - *1. culpa*
          - *1. Ixion jactavit ſtuprum Iunonis.*
          - *2. Pirithous attentavit raptum Proſerpinæ.*
        - *2. pœna*
          - *1. lapis imminens.*
          - *2. convivium ſplendens*
            - *1. à discubitoriorũ ornatu.*
            - *2. ab epularũ luxu. (phore.*
          - *3. Furia accumbens.*
            - *1. à perſona per periphr. Tiſi-*
            - *2. ab effecto*
              - *1. phibet contactũ.*
              - *2. minatur face.*
              - *3. terret voce.*
  - II. Iniquitas in homines. *vid. ſeq.*

[a] *Hic quibus inviſi* [b] *fratres, dum vita manebat,*
[c] *Pulſatusve parens, &* [d] *fraus innexa clienti:*
*Aut qui divitiis* [e] *ſoli incubuêre repertis,*
*Nec partem* [f] *poſuere ſuis (quæ maxima turba eſt.)*
*Quique ob* [g] *adulterium cæſi; quique arma ſequuti*
[h] *Impia, nec veriti* [i] *dominorum fallere* [k] *dextras:*
*Incluſi pœnam* [l] *exſpectant: ne quære doceri*
*Quam* [m] *pœnam: aut quæ forma viros fortunave merſit.*
[n] Saxum ingens volvunt alii, *radiisque rotarum*
[o] *Diſtricti pendent:* ſedet, æternumq; ſedebit
Infelix [p] Theſeus: [q] Phlegyasq; miſerrimus omnes
Admonet, & magnâ teſtatur voce per umbras:
Diſcite Juſtitiam moniti, & non [s] temnere Divos.
[t] Vendidit hic auro patriam, [u] dominumq; potentẽ
Impoſuit: [x] figit leges pretio, atque refixit.
Hic thalamum invaſit natæ, vetitosq; [y] hymenæos:
Auſi omnes immane nefas, [z] auſoque potiti.
*Non, mihi ſi linguæ centum ſint, oraque centum,
Ferrea vox, omnes ſcelerum comprehendere formas,
Omnia pœnarum percurrere nomina poſſim.

*Hæc*

a) Hic loci detinentur & torquentur pro meritis.
b) Fratrum quoq; gratia rara eſt. Videtur a. hic ſignificare Eteociem & Polinicen, Atreum & Thyeſten, Ægyptum & Danaum.
c) Parricidium per Mioſin explicat: de Parricidarum pœna quid ſenſerit Draco Athenienſis, quid ſtatuerit Pompilius, & Pompejus, Hiſtoriȩ docent.
d) Patronus ſi clienti fraudem fecerit, ſacer eſto. Cliens quaſi colens & obſervans patronum.
e) Hypallage, pro Solis.
f) Repoſuere ſuis neceſſariis.
g) Videtur innuere Ægiſthũ, qui adulterium cum Clytemneſtra commiſit, cujꝰ maritum Agamemnonem cùm occidiſſet, viciſſim ab ejus filio interfectus eſt.
h) Injuſta, contra patriam, cives, & propinquos. Videtur perſtringere Syllam.
i) Menam volunt nonnulli intelligere, qui libertus Sexti Pompeii, ab eo defecit ad Auguſtum; quod non poteſt admitti, niſi Poëtȩ mens fuiſſe credatur, quòd Auguſtus, proditionis amans, proditorem oderit.
k) Fidei ſymbolum eſt dextra, quam fallere hic dicuntur ſervi proditores.
l) Metus pœnæ diuturnus ipſa morte durior habetur. m) Ellipſis, ſcil. expectent.
n) Siſyphus notatur. o) Ixionem intelligit. p) Vivus ab inferis rediit, ſed defunctus æterno ſupplicio addictus fuit. q) An Theſeus exemplari hac admonitione hortetur Phlegyas, Theſſaliæ populum impium; an Phlegyas filius Ixionis & rex Lapitharum pœna ſua monitos velit alios? Grammatici certant, & adhuc ſub judice lis eſt. r) Teſtimonio ſuo affirmat. s) Aphæreſis, pro contemnere; à τέμνω ſeco: reſecamus & amputamus, quæ contemnimus. t) Laſthenes Olynthum Philippo; Curio Romam Julio Cæſari vendidit. u) Tyrannum intruſit. x) Pro lubidine ſanxit & abrogavit. Per Metaph. vel Metonym. Leges enim in æs inciſæ fixis in publico tabellis proponebantur. y) Nuptias. Metonymia. Hymenæus nuptiarum Deus credebatur. z) Impio conatu & auſu.
*) Synecdoche numeri certi pro incerto, & proverbialis Hyperbole.

- Iniquitas in hominès *narratur:*
  - I. Hypotheſi *per congeriem, ut*
    - 1. Invidia, *quæ exaggeratur*
      - *1. à ſubjecta fraternitate.*
      - *2. ab adjuncta vitæ brevitate.*
    - 2. Parricidium, *& qualibet alia injuria parentibus illata.*
    - 3. Fraudulentia *Patronorum erga clientes.*
    - 4. Avaritia
      - *1. ab effectis, ut quæ*
        - *1. ſibi rapit omnia ſoli.*
        - *2. nihil tribuit alteri.*
      - *2. à ſubjecta maxima turba.*
    - 5. Adulterium.
    - 6. Injuſtitia.
      - *1. à* Culpæ *ſubjecto, quod ſunt*
        - *1. iniqui belli participes.*
        - *2. in dominos rebelles.*
      - *2. à* Pœnę *modo, qui*
        - *1. proponitur: incluſi expectant ſupplicia.*
        - *2. amplificatur*
          - *1. occupatione, cujus*
            - *1. objectio: quæ res forſan genꝰ pœnæ.*
            - *2. ſubjectio:*
              - *1. volvunt ſaxum.*
              - *2. diſtringuntur rotis.*
          - *2. exēplo*
            - *1. Theſei captivitate æterna.*
            - *2. Phlegyæ admonitione ſeria, cujus*
              - *1. objectum, omnes damnati.*
              - *2. adjuncta vocis intenſio.*
              - *3. forma ꝑ exclamationē*
                - 1. *ad* colendā juſtitiam.
                - 2. *ad* verendos Deos.
    - 7. Perfidia *eorum qui*
      - *1. prodiderunt patriam.*
      - *2. introduxerunt Tyrannum.*
      - *3. leges tulerunt vel abrogarunt pretio.*
    - 8. Inceſtus, *per expolitionem ab objecto.*
  - II. Theſi, *per aſ*ſumptionem, *cujus*
    - *1. Propoſitio: omnes immaniter peccarunt.*
    - *2. Amplificatio de narrandi difficultate*
      - *1. ab inſtrumenti tenuitate, per hyperbolen, ō ſufficiunt*
        - *1. centum linguæ & ora.*
        - *2. vox ferrea.*
      - *2. ab objecti multiplicitate, ut*
        - *1. ſpecies culpæ.*
        - *2. genera pœnæ.*

*Hæc ubi dicta dedit Phœbi*[a] *longæva ſacerdos,*
*Sed jam age,*[b] *carpe viam, & ſuſceptum perfice munus;*
*Acceleremus, ait.* [d] *Cyclopum educta caminis*
*Mœnia conſpicio, atque*[c] *adverſo fornice portas:*
*Hæc*[f] *ubi nos præcepta jubent deponere dona.*
*Dixerat; & pariter greſſi per opaca viarum,*
*Corripiunt ſpatium mediū,*[g] *foribusq; propinquant.*
*Occupat Æneas aditum, corpusque recenti*
*Spargit aqua, ramumque adverſo in limine figit.*
*His demum exactis, perfecto munere divæ,*
*Devenere*[h] *locos*[i] *lætos, & amœna vireta*
[k] *Fortunatorum nemorum,*[l] *ſedesque beatas.*
[m] *Largior hic campos æther, & lumine veſtit*
*Purpureo: ſolemque ſuum, ſua ſidera norunt.*

a) Sibyllæ periphraſis. Nam diutius quàm ulla alia vixiſſe dicitur.

b) Perge, progredere.

c) Redde ramum aureum.

d) Magna vel ferrea; in altum ducta unà cum caminis, veluti Cyclopum opera: vel in Cyclopum fornacibus fabricata: vel quia omnia magnæ molis opera, mœnia præcipuè, Cyclopum credebantur.

e) Arcu bonis & piis inimico.

f) Ubi eſt locus, in quo ramus aureus eſt defigendus.

g) Portarum, in regia Plutonis.

h) Ellipſis præpoſitionis In.

i) Periphraſis Elyſii.

k) Alluſnm eſt ad Inſulas fortunatas, in quibus Elyſium ſtatuant nonnulli, ut & alii in Hiſpania Bætica.

l) Beatarum animarum domicilium, locum amœniſſimum, nullis tempeſtatibus aëreis expoſitum, & quaſi Paradiſum. Tertullianus in Apologetico adverſus gentes ſentit, ethnicos ſcriptores ea, quæ de inferis, de Pyriphlegetonte, & de Elyſio prodidere, omnia ex Prophetarum libris perperam intellectis ita accepiſſe, ut fabularum ambagibus & cæca caligine pleraque corruperint, aut ſaltem obſcurarint. Philoſophis ſucceſſerunt Poëtæ, qui ingenii oſtentandi gratia impudentiſſimis mendaciis illorum Commenta veſtiverunt. Quod Prophetæ de extremo judicio memoriæ prodiderunt, illud Minoi apud inferos judicanti applicarunt: gehennam fecere Pyriphlegethontem: Paradiſum fortunatorum nemorum locum, piis ſpiritibus paratum, quem Elyſium dixere. Ita ex ſacris literis multa detorta in fabulas verterunt. Affirmat id Euſebius. Irenæus etiam, qui ſtatim poſt Apoſtolorum temoora claruit, palàm adſtruit, Socratem ea, quæ de vita beata & æterna, de Paradiſo diſſeruit, è Sacris hauſiſſe omnia. Plato ſanè, qui præceptorem ſuum ea diſputantem inducit, ſine dubio Moſis volumina legiſſe convincitur.

m) Purior, quàm in orbe noſtro, Hinc Claudianus: Sunt altera nobis Sidera, ſunt orbes alii, lumenq; videbis purius, &c.

*Pars*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-356869-p0068-5

Elyſii peragratio conſtat

- I. Hodœporia, *cujus narratur*
  - 1. Impulſus
    - *1. ab efficiente, per tranſitionem & proſopographiam Sibyllæ ab adjuncta ætate & officio.*
    - *2. à forma, cujus*
      - *1. Propoſitio eſt exhortatoria, per expolitionem*
        - *1. carpe viam.*
        - *2. perfice munus.*
        - *3. acceleremus.*
      - *2. Ratio, quia video regiam Plutonis*
        - *1. ab adjuncta magnitudine*
          - *1. murorum.*
          - *2. portarum.*
        - *2. à fine loci, aureo ramo defigendo.*
  - 2. Actus
    - *1. utriusq; à ſubjecto termino*
      - *1. per quem, per viam opacam.*
      - *2. ad quem, per expolitionem*
        - *1. corripiunt ſpatium medium.*
        - *2. propinquant foribus.*
    - *2. Æneæ, qui*
      - *1. occupat aditum.*
      - *2. ſpargit aqua corpus.*
      - *3. figit aureum ramum in limine.*
  - 3. Eventus, *qui conſtat*
    - *1. Tranſitione actorum.*
    - *1. Topographia per expolitionem*
      - *1. Subjecti, ut*
        - *1. loca læta.*
        - *2. vireta amœna.*
        - *3. fortunata nemora.*
        - *4. ſedes beatæ.*
      - *2. Adjuncti, videl. loci*
        - *1. temperie & amœnitate.*
        - *2. claritate, cujus cauſa ſunt ſol & ſidera.*
- II. Theoria animarum.
- III. Synodia, *ſive* colloquio.
- IV. Apoporia, *ſive reditu.*

(II.–IV.: *vid. ſeqq.*)



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-356869-p0069-4

*Pars in gramineis* [a] *exercent membra palæſtris,*
*Contendunt ludo, & fulvâ luctantur arenâ:*
*Pars pedibus* [b] *plaudunt* [c] *choreas, & carmina dicunt.*
*Nec non* [d] *Threicius* [e] *longa cum veſte* [f] *ſacerdos*
[g] *Obloquitur numeris* [h] *ſeptem diſcrimina vocum:*
[i] *Iamq; eadem digitis, jam pectine pulſat eburno.*
*Hic genus antiquum* Teucri, *pulcherrima proles,*
*Magnanimi heroes, nati* [k] *melioribus annis,*
Ilusq;, Aſſaracusq;, *& Trojæ* Dardanus *author.*
[l] *Arma procul, currûsq; virûm miratur inanes.*
[m] *Stant terræ defixæ haſtæ, paſſimq; ſoluti*
*Per campos paſcuntur equi: quæ gratia* [n] *currûm*
*Armorumq; fuit vivis, quæ* [o] *cura nitentes*
*Paſcere equos, eadem ſequitur tellure repoſtos.*
*Conſpicit (ecce) alios dextrâ lævâq; per herbam*
*Veſcentes, lætumq; choro* [p] *Pæana canentes,*
*Inter odoratum lauri nemus: unde supernè*
[q] *Plurimus Eridani per ſylvam volvitur amnis.*
[r] *Hic manus, ob patriam pugnando vulnera paſſi:*
*Quiq; ſacerdotes* [s] *caſti, dum vita manebat,*
*Quiq;* [t] *pij vates, & Phœbo digna loquuti:*
*Inventas aut qui vitam excoluêre per artes:*
[u] *Quiq; ſui memores alios fecêre merendo:*
*Omnibus his niveâ cinguntur tempora* [x] *vitâ.*

*Quos*

a) Syntheſis, & in ſeq. plaudunt.
b) Pedū cōploſione choreas ducunt.
c) Syſtole: χορείας enim ducunt. Græcorum more E longum corripit, ſequente alia vocali.
d) Orphe⁹ Thracius Oeagri & Calliopes filius; plures fuerunt diverſæ nationis hoc nomine appellati: hic a Thracius à matre tam egregiè citharam ſonare didicit, ut ſaxa & feras commoviſſe dicatur, ſed mythologicè.
e) Fluxa, videl. Syrmate, ut Citharædi tibicines & fidicines uſi ſunt in ſcenis.
f) Religioſiſſimus fuiſſe, primus ex Ægypto ceremonias tranſtuliſſe, & orationes de cognitione Dei edidiſſe traditur, unde ab Horatio ſacer Deorum interpres appellatur.
g) Pulſans pariter & cantans. Hinc Eclog. 9. Numeros memini, ſi verba tenerem. Et Tibullus: digiti cum voce locuti.
h) Lyra à Mercurio inventa habuit ſeptem chordas, addidit Pythagoras octavam, Terpander nonam, in gratiam novem Muſarū.
i) Siniſtra chordas carpendo canit intus, ex arte ſibi nota; foris canit pulſando chordas pectine.
k) Felicioribus, quàm contigerant Laomedonti, Priamo, Æneæ, & aliis Trojanis.

l) Quidā exponunt per ἓν διὰ δυοῖν, unum per duo, quam figuram vulgo vocant Endiadyn, q.d. armatos currus, aut armatorum virorum currus. Alii per zeugma: mirantur de longinquo currus inanes & arma inania. Alii per ellipſin: arma procul abjecta.
m) Hiſce quatuor reges pacificos commendare videtur.
n) Vel Syncope, vel licentia poëtica.
o) Platonici ſtatuunt animas iis deliciis excarnificari, quibus ſuperſtites intemperantiùs fuere deditæ; contra claros viros virtutum recordatione delectari.
p) Hymnum vel Euphemiam victorialem Apollini ſacram; nam alter Pæan bellicus erat Marti ſacer, quem ante congreſſum canebant.
q) Ingens quippe qui triginta amnibus augetur; Græcis Eridanus, Latinis Padus, pœna Phaëtontis illuſtratus: cujus multa pars cùm terra abſorbeatur, nec rurſus emergat, ſtatuitur Elyſiorum fluvi⁹.
r) Intelligit Brutum, Curium, Decios, Coclitem, Scævolam, Horatios, &c.
s) Nullo inceſtu, adulterio, ſtupro polluti.
t) Non impia & vana ſcribendo ſectati.
u) Qui bene merendo memoriam ſui reliquerunt.
x) Vitta olim divinitatis ſignū fuiſſe traditur.

Theoria animarum *eſt vel*

- I. definita, *per diſtributionem*
  - 1. ab effectis, *exercitiis ſive ſtudiis*
    - *1. Lucta, à fine*
      - *1. exercendi membra in graminea palæſtra.*
      - *2. æmulandi in fulva arena.*
    - *2. Chorea, ab adjuncto*
      - *1. pedum plauſu.*
      - *2. carminum cantu.*
  - 2. à ſubjectis, *quæ ſunt vel*
    - 1. Muſicæ author Orpheus
      - *1. à gente vel natione, Thracius.*
      - *2. ab habitu, veſte longa, humum verrente.*
      - *3. ab officio ſacerdotali.*
      - *4. ab effecto, pulſu citharæ*
        - *1. à chordarum numero.*
        - *2. ab inſtrumento*
          - *1. digitis.*
          - *2. pectine eburno.*
    - 2. Trojanæ gentis cōditores
      - *1. à generis antiquitate & claritate, Teucri videlicet.*
      - *2. à magnanimitate.*
      - *3. à ſeculi felicitate.*
      - *4. à nominum varietate*
        - *1. Ilus, qui fuit Æneæ proavus.*
        - *2. Aſſaracus, Anchiſæ avus.*
        - *3. Dardanus, ab effecto, videl. fundata Troia.*
      - *5. ab adjunctis per*
        - *1. diſtributionem*
          - *1. armorum.*
          - *2. curruum.*
          - *3. haſtarum.*
          - *4. equorum.*
        - *2. comparationem, cujus*
          - *1. Protaſis, qualis in vivis fuit gratia & cura*
            - *1. curruū.*
            - *2 armorū*
            - *3. equorū.*
          - *2. Apodoſis: talis etiā mortuorum.*
- II. indefinita
  - *1. à ſitu, diſcumbunt à dextris & ſiniſtris.*
  - *2. à cantu, ubi*
    - *1. adjuncta ſanctitas hymni Apollini ſacri.*
    - *2. ſubjecti loci amœnitas ob*
      - *1. nemus odoriferum.*
      - *2. fluvium Padum.*
  - *3. ab effectis, ſeu meritis in vita per congeriem, ut*
    - *1. Patriæ vindicatores.*
    - *2. Caſtitatis ſervatores.*
    - *3. Carminum ſcriptores.*
    - *4. Artium inventores.*
    - *5. Benefactores.*
  - *4. à conſequente prœmio, corona candidiſſima.*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-356869-p0071-1

*Quos [a] circumfuſos ſic eſt affata Sibylla:*
*([b] Muſæum ante [c] omnes; mediũ nam plurima turbæ*
*Hunc habet, atq; humeris exſtantem [d] ſuſpicit altis)*
*[e] Dicite felices animæ, tuque optime Vates,*
*Quæ regio Anchiſen, quis habet locus? illius [f] ergò*
*Venimus, & magnos [g] Erebi [h] tranavimus amnes:*
*Atque huic reſponſum paucis ita reddidit heros:*
*[i] Nulli certa domus: lucis habitamus [k] opacis,*
*Riparumque [l] toros & prata [m] recentia rivis*
*Incolimus. Sed vos (ſi fert ita corde voluntas)*
*Hoc [n] ſuperate [o] jugum, & facili jam tramite [p] ſiſtam.*
*Dixit: & antè tulit greſſum, camposque nitentes*
*Deſuper oſtentat: dehinc ſumma cacumina linquunt.*

At

a) Circa ſe collectos. Metaphora ab inanimato ad animatum.

b) Theologum, Orphei diſcipulum, Eumolpi filium Athenienſem, qui Leandri & Herûs amores ſcripſiſſe fertur.

c) Honorificentiſſimum de Muſæo eulogium.

d) Miratur. Metaphora rei conveniens,

e) Summo conſilio, deditaq; opera Sibyllam, quæ rerum præſentium & futurarum gnara erat, introducit quærentem; ut per interrogationem materia narrandi de ſitu & amœnitate Elyſii præbeatur: vel dilatandæ narrationis cauſa utriusq; colloquium breve inſerit.

f) Pro Cauſa, vel propter illum. Vim nominis habet illa particula cum genitivo conſtructa, ſignificatque idem, quod Græcis ἕνεκα.

g) Inferorum. Exaggerat cauſam itineris à difficultate & periculis.

h) Trajecimus, transmiſimus.

i) Anima à corpore ſeparata non terminatur, nec ullius loci ſpatio includitur aut coërcetur, quippe ſubſtantia incorporea. k) Propter denſas arborum umbras.

l) Tori propriè ſunt herbæ intortæ, à quibus lecti tori nuncupantur.

m) Virentia recentibus rivis. n) Conſcendite hunc collem.

o) Montium partes ita fermè dividuntur, ut ſint aut radices, aut latera leviter acclivia vel præcipitia, aut juga vel cacumina. m) Mox apparere faciam Anchiſen.

- Synodia *ſive* colloquium *vel eſt cum*
  - I. Muſæo, *ubi notanda:*
    - 1. Sibyllæ quæſtio, *cujus*
      - 1. *Occaſio eſt*
        - 1. Animarum *frequentia.*
        - 2. Muſæi *eminentia*
          - *1. à ſitu, in medio turbæ.*
          - *2. à proceritate ſtaturæ.*
      - 2. *Forma.*
        - *1. captat benevolentiam*
          - *1. animarum, à felicitate.*
          - *2. Muſæi, ab officij dignitate.*
        - *2. proponit quæſtionem de loco Anchiſæ.*
        - *3. confirmat, à fine ſui*
          - *1. adventus.*
          - *2. deſcenſus.*
    - 2. Muſæi reſponſio, *cōſtans*
      - 1. Adjuncta *brevitate & dignitate.*
      - 2. Forma, *per*
        - *1. ἄρσιν, cujus*
          - *1. Propoſitio: nulla animarum certum habet locum.*
          - *2. Ratio* ꝑ *diſtributionē, q̃a incolimus*
            - *1. lucos opacos,*
            - *2. riparũ gramina.*
            - *3. prata virentia.*
        - *2. θέσιν, quæ conſtat*
          - *1. Captatione benevolentiæ: ſi libet.*
          - *2. Propoſitione: tranſite montē.*
          - *3. Ratione à facili: monſtrabo vobis viam.*
      - 3. Conſequente eventu, *videl.*
        - 1. Hodægia *Muſæi, qui*
          - *1. anteit ad jugũ montis.*
          - *2. oſtendit campos deſuper.*
        - 2. Hodœporia *Sibyllæ & Æneæ de monte deorſum.*
  - II. Anchiſa, *vid. ſeq.*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-356869-p0073-2

At pater Anchiſes [a] penitus convalle virenti
[b] Incluſas animas, ſuperumque ad lumen ituras,
[c] Luſtrabat ſtudio recolens: omnemque ſuorum
Fortè recenſebat numerum, [d] caroſque nepotes:
[e] Fataque fortunasq; virûm, [f] moresq; [g] manusque.
Isq; ubi tendentem [h] adverſum per gramina vidit
Ænean, alacris [i] palmas utrasque [k] tetendit;
Effuſæque genis lacrymæ, & vox excidit ore:
Veniſti tandem, tuaque [m] ſpectata [n] parenti
Vicit iter durum pietas: datur ora tueri
Nate tua, & notas audire & reddere voces.
Sic equidem ducebam animo, rebarque futurum,
Tempora dinumerans: nec me mea [o] cura fefellit.
Quas [p] ego te terras, & quanta per æquora vectum
Accipio! quantis jactatum, nate, periclis!
Quàm metui, ne quid [q] Libyæ tibi [r] regna nocerent!
[s] Ille autem; tua me, genitor, [t] tua triſtis [u] imago
Sæpiùs occurrens, [x] hæc limina tendere adegit.
Stant [y] ſale Tyrrheno claſſes: da jungere dextram,
Da genitor: teque [z] amplexu ne ſubtrahe noſtro.
Sic memorans, largo fletu ſimul ora rigabat.
Ter conatus ibi collo dare brachia circum,
Ter fruſtra comprenſa manus effugit imago,
*Par levibus ventis, volucrique ſimillima ſomno.

Interea

a) Pænè intus, ac intra convallem, quæ montibus undiq; concluſa.
b) A multitudine ſeparatas, quo faciliùs agnoſcerentur in vitam redituræ.
c) Recenſebat, ſtudiosè inſpiciendo inquirebat.
d) Polyſyndeton, & expolitio Poſteritatis.
e) Opes, gloriam, triumphos, imperium, fatalemq; poſterorum ſucceſſum.
f) Virtutē, pacis ſtudia, & jura.
g) Res ab illis bello gerendas.
h) Ex adverſo ſe petentem.
i) Manus, per ſynecdochen.
k) Expandit ad cœlum, Diis gratias agens, quòd ad ſe filium venire permiſerant.
l) Poſt longos errores, & varia diſcrimina.
m) Aliis Expectata.
n) Pro mihi. Enallage perſonę.
o) Deſiderium, ſpes, cujus cura comes; vel blandientis vox: tu, qui es mea cura.
p) i. e. Quas te ego per terras.
q) Carthaginis. Modeſtè notat filii cum Didone conſuetudinem, & regni Italici oblivionem, Junonis odio & dolo inductam.
r) Africæ regnum. Enallage numeri.
s) Ellipſis. ſc. reſpondit Æneas
t) Pronominis repetitio præter emphaſin, etiam pathos habet, à pio.
u) Reſpicit ad lib. 4.
x) Ellipſis, pro ad hæc limina.
y) Mari. Metonymia adjuncti.
y) Apocope, pro amplexui; vel Ellipſis, pro ex amplexu noſtro.
*Verſiculus concitatus & volubilis latenter alludit ad etymon animæ ab ἄνεμος, ventus.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-356869-p0074-8

- Synodia cum Anchiſa *conſtat*:
  - I. Mutua ſalutatione
    - 1. Anchiſæ, *cujus not.*
      - 1. Studium, *videl. luſtratio*
        - *1. à ſubjecto loco, in convalle.*
        - *2. ab objecto, quod ſunt animæ in vitam reditura.*
        - *3. ab adjuncta ſtudioſa examinatione.*
        - *4. à diſtributione, quoad*
          - *1. numerum & ſeriem.*
          - *2. fata per diſtributionem*
            - *1. opulentiæ.*
            - *2. vitæ.*
            - *3. potentiæ.*
      - 2. Alloquium, *cujus not.*
        - 1. Impulſiva
          - *1. externa, Æneæ adventantis conſpectus.*
          - *2. interna, lætitia ex*
            - *1. geſtu, utriusq; palmæ elatione.*
            - *2. affectu, lachrymarum effuſione.*
            - *3. affatu, vocis præcipitatione.*
        - 2. Forma, *cujus*
          - *1. Exordiū conſtat*
            - *1. Propoſit. qua laudat expectatū adven-(tum.*
            - *2. Ratione, ab honeſto, filiali pietate, qua vicit itineris difficultatem.*
          - *2. Propoſitio gratulatur de copia*
            - *1. conſpiciendi.*
            - *2. colloquendi.*
          - *3. Ratio, à deſiderij ſui*
            - *1. argumento: ſperabam te venturum.*
            - *2. complemento: nec me ſpes feſellit.*
          - *4. Amplificatio à ſolicitudine*
            - *1. indefinita*
              - *1. à ſubjectis terris & maribus.*
              - *2. ab adjunctis periculis.*
            - *2. definita, à metu periculorū in Libya.*
    - 2. Æneæ, *quæ conſtat*
      - 1. Forma, *& hæc*
        - *1. narratione*
          - *1. de adventus impulſiva, imagine parentis*
            - *1. frequenter apparente.*
            - *2. deſcenſum imperante.*
          - *2. de claſſis ſtatione.*
        - *2. rogatione,*
          - *1. porrigendi dextram.*
          - *2. concedendi amplexum.*
      - 2. Adjunctis, *videl.*
        - *1. Ploratu.*
        - *2. Conatu, cujus*
          - *1. impulſiva, filialis affectus amplectendi parentem.*
          - *2. effect⁹ imaginis effugium, ubi*
            - 1. Protaſis: fruſtra comprehenditur anima.
            - 2. Ratio à comparat. quia eſt par vento & ſomnio.
  - II. Solida informatione. *vid. ſeq.*

[a] *Interea videt Æneas in valle [b] reductâ*
*Secluſum nemus, & virgulta ſonantia [c] ſylvis,*
[d] *Lethæumque, [e] domos placidas qui [f] prænatat, amnē.*
*Hunc circum innumeræ [g] gentes populiq; volabant.*
[h] *Ac veluti in pratis, ubi apes æſtate ſerenâ*
*Floribus inſidunt variis, & candida circum*
[i] *Lilia [k] funduntur: [l] ſtrepit omnis murmure campus.*
[m] *Horreſcit viſu ſubito, cauſasque requirit*
*Inſcius Æneas, quæ ſint ea flumina [n] porrò,*
[o] *Quive viri tanto complerint [p] agmine ripas?*
*Tum pater Anchiſes: [q] Animæ, quibus altera Fato*
*Corpora debentur, Lethæi ad fluminis undam,*
[r] *Securos latices, & longa [s] oblivia potant.*
*Has equidem [t] memorare tibi, atq; oſtendere coràm,*
*Jampridem hanc prolem cupio enumerare meorum:*
*Quo magis Italiâ tandem lætere repertâ.*
[u] *O pater, anne aliquas [x] ad cœlum hinc ire putandum eſt*
*Sublimes animas? iterumque ad tarda reverti*
*Corpora? quæ lucis miſeris tam dira cupido?*
*Dicam equidem, nec te ſuſpenſum, nate, tenebo,*
[y] *Suſcipit Anchiſes, atque ordine [z] ſingula pandit.*
*Prin-*

a) Occaſionem ſumit Poëta narrandi ſummam Socraticæ Philoſophiæ, de animarum immortalitate, & Deo conditore omnium.
b) Recedente, in receſſum remota.
c) Alii habent Sylvæ.
d) Qui potus, animabus rerum omnium, quæ in vita priore acta ſunt, inducit oblivionem.
e) Campos Elyſios.
f) Præterfluit.
g) Synecdoche. Gentium & populorum animæ.
h) Comparatio, ab apum in flores devolantium æſtiva mellificatione.
i) Synecdoche. Flores omnis generis.
k) Metaphora.
l) Sonat apum bombo.
m) Mythologi horrorem hunc conſcientiæ veritatis ſimulacris motæ tribuunt.
n) Procul.
o) Paraſceve ad ea, quæ infra de poſteritate Æneæ commemorantur.
p) Impetu.
q) Pythagoricum ſomnium & delirium.
r) Qui ſecuros faciunt. Metonymia.
s) Aquas oblivionem inducentes. Metonym.
t) Attentio, à cupiditate monſtrandi poſterorum animas.
u) Ellipſis. Æneas ait.
x) Ad ſuperos, i. e. an credibile eſt, animas expertas jam prioris vitæ labores & ærumnas, velle ex beatiſſima hac Elyſii quiete redire ſublimes ad vitam, & denuò aliis corporibus uniri.
y) Excipit orationem filii, & ſic infit, incipit, reſpondet.
z) Expoſiturus, quomodo ex Elyſio in corpora humana mittantur animæ, altiùs orditur mundi creationem, à Deo & divina potentia, qua ſingula continentur.

- Solida informario *conſtat*
  - I. Propoſitione, *cujus notetur*
    - 1. Occcaſio, Æneę quæſtio *cujus*
      - 1. Impulſiva
        - *1. externa eſt conſpectus*
          - *1. ſubjecti loci, qui eſt*
            - *1. vallis longa.*
            - *2. ſecluſa ſylva.*
            - *3. amnis præterfluens.*
          - *2. adjunctarū animarum,*
            - *1. à magna frequentia.*
            - *2. à ſtudio, per ſimilit. apum*
              - *1. à loco, in pratis.*
              - *2. à tempore æſtivo.*
              - *3. ab objecto*
                - *1. indefinito, florib.*
                - *2. definito, liliis.*
        - *2. interna, quæ eſt*
          - *1. horror ex aſpectu.*
          - *2. admiratio ex cauſarum ignorantia.*
      - 2. Forma *per diſtributionem objectorum,*
        - *1. quæ ſint ea flumina?*
        - *2. quæ ſint illæ animæ?*
    - 2. Forma, *quæ conſtat:*
      - 1. Anchiſæ explicatione, de
        - *1. Animarū ſtatu,*
          - *1. à futuro in corpora reditu, ſeu μετεμψυχώσει.*
          - *2. à præſenti potu, cujus*
            - *1. materia eſt flumen lethæum.*
            - *2. finis oblivio præteritorum.*
        - *2. Suo affectu narrandi,*
          - *1. à materia*
            - *1. animarū transmigratione.*
            - *2. Æneæ poſteritate*
          - *2. à fine, ut inventa Italia lætetur.*
      - 2. Æneæ objectione, *cujus*
        - *1. Propoſitio: atq; ego dubito de μετεμψυχώσει.*
        - *2. Ratio ab*
          - *1. inhoneſto: animæ ſunt nobilioris eſſentiæ.*
          - *2. inutili: corpora gravant animas.*
          - *3. injucundo: vitæ cupido eſt miſera.*
      - 3. Anchiſæ ſubjectione, *à narrandi*
        - *1. promptitudine.*
        - *2. ordine.*
  - II. Confirmatione. *Vide ſeq.*

[a] *Principio* [b] *cœlum ac terras,* [c] *camposque liquentes,*
*Lucentemque globum Lunæ,* [d] *Titaniaque aſtra*
[e] *Spiritus intus alit, totamque infuſa per* [f] *artûs*
*Mens agitat* [g] *molem, & magno ſe corpore miſcet.*
[h] *Inde hominum pecudumq; genus, vitæq; volantū,*
*Et quæ* [i] *marmoreo fert* [k] *monſtra ſub æquore pontus.*
*Igneus eſt* [l] *ollis vigor & cœleſtis origo*
[m] *Seminibus,* [n] *quantum non noxia corpora tardant,*
*Terrenique hebetant artûs, moribundaque membra.*
[o] *Hinc metuunt, cupiūtque, dolent gaudentq;: nec auras*
[p] *Reſpiciunt, clauſæ* [q] *tenebris & carcere cæco.*
[r] *Quin & ſupremo quum lumine vita reliquit,*
*Non tamen omne malū miſeris, nec funditus omnes*
*Corporeæ excedunt* [s] *peſtes: penitusque neceſſe eſt*
*Multa diu concreta modis inoleſcere miris.*
*Ergo exercentur pœnis, veterumque malorum*
*Supplicia expendunt:* [t] *aliæ panduntur inanes*
*Suſpenſæ ad ventos: aliis ſub gurgite vaſto*
*Infectum eluitur ſcelus, aut exuritur igni.*
Quisque ſuos patimur [u] manes: *exinde per amplum*
*Mittimur Elyſium, &* pauci læta arva tenemus:
*Donec longa dies perfecto temporis orbe*
*Concretam exemit labem, purumque reliquit*
[x] *Ætherium ſenſum, atque* [y] *aurai ſimplicis ignem.*
*Has omnes, ubi mille* [z] *rotam volvêre per annos,*
*Lethæum ad fluvium Deus evocat agmine magno.*
*Scilicet immemores ſupera ut convexa reviſant,*
*Rurſus & incipiant in corpora velle reverti.*

*Dixerat*

a) Digreditur in locum Philoſophiæ Platonicæ, Deum eſſe mundi animam.
b) Cœlum pro aëre & igne poſuit.
c) Periphraſis maris.
d) Periphraſis Solis. Titan n. Solis motum & anni rationem ſolertiſſimè obſervavit; unde Solis fratrem comenti ſunt: inde Sol Titan dictus, & aſtra Titania.
e) Deus, mens æterna.
f) Elementa, quæ membra ſunt mundi.
g) Sphæricam mundi machinam, cum orbibus cœleſtib⁹.
h) A Deo per elementa.
i) A colore, non à materia.
k) Diverſas piſcium ſpecies.
l) Antiſtœchon, illis.
m) Animabus.
n) In tantum viget in illis pars divinitatis, in quantum finit corporis qualitas, vel quatenus illum vigorē terreni corporis concretio nō impedit.
o) A corporis miſtura contrahuntur animæ contages, affectus.
p) Obliviſcuntur cœleſtis ſuæ naturæ.
q) ἓν διὰ δυοῖν, pro tenebroſo carcere corporis.
r) Anthypophora tacitæ quæſtioni occurrit.
s) Auxeſis. Sordes & vitia, quibus anima infecta fuit corporis commercio.
t) Reliquiæ ſordium vel ventilantur aëre, eluuntur aqua, exuruntur igne.
u) Supplicia, quæ ſunt apud manes.
x) Periphraſis animæ, ſubſtantiæ ætheriæ.
y) Auræ. Diæreſis caſus obſoleti.
z) Temporis.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-356869-p0078-0

Confirmatio Anchiſæ eſt de

- I. Statu animæ vel
  - 1. Macrocoſmi, *ſive mundi,*
    - *1. à ſubjectis Corporibus naturalibus*
      - *1. Elementaribus.*
      - *2. Cœleſtibus.*
    - *2. à cauſa prima ſpiritu & mente divina.*
    - *3. à forma animationis*
      - *1. infundendo ſe elementis.*
      - *2. movendo machinam mundi.*
      - *3. miſcendo ſe corporibus.*
    - *4. ab effecto, vita animalium*
      - *1. rationalium, hominum.*
      - *2. irrationalium, pecudum, volucrum, piſcium.*
  - 2. Microcoſmi, *ſive hominis, cujus not.*
    - 1. Origo
      - *1. à cauſa*
        - *1. perficiente, quæ eſt vigor cœleſtis in ſemine.*
        - *2. deficiente per expolitionem*
          - *1. corpora gravantia.*
          - *2. artus hebetantes.*
          - *3. membra moribunda.*
      - *2. ab effecto,*
        - *1. Paſſione, ſive affectibus: metu, cupiditate, dolore, gaudio.*
        - *2.* Captivitate in carcere tenebroſo corporis.
    - 2. Emigratio, *cujus terminus:*
      - *1. à quo eſt* Vita, *ubi*
        - *1. objectio: atq; corpore relicto redit anima ad priſtinam puritatē.*
        - *2. ſubjectio cujus*
          - *1. Propoſitio per expolitionem: animæ poſt mortem non exuuntur omnibus vitiis.*
          - *2. Ratio: quia neceſſe eſt conſociatione longa corporis quadam inoluiſſe vitia.*
      - *2. per quem* Purgatorium
        - *1 proponitur per expolit. animæ luunt pœnas, expendunt ſupplicia.*
        - *2. amplificatur per diſtrib. pœnarum,*
          - *1. ſuſpenſione in aëre.*
          - *2. ſubmerſione in aqua.*
          - *3. crematione in igne.*
        - *3. concluditur per aſſumptionē epiphonematicam:* quiſq; ſuos patimur manes.
      - *3 ad quem* Elyſium
        - *1. à ſubjecti loci capacitate.*
        - *2. ab adjuncta*
          - *1. beatorum paucitate.*
          - *2. purgationis difficultate.*
        - *3. ab effecto, recuperatione priſtinæ puritatis per expolitionem.*
    - 3. Remigratio
      - *1. ab adjuncto tempore, poſt millenarium.*
      - *2. à ſubjecto termino ad quem, lethæum fluvium.*
      - *3. ab efficiente, Deo vocante agmen.*
      - *4. à fine, ut*
        - *1. reddantur præteritorum immemores.*
        - *2. ſupera reviſant.*
        - *3. in corpora revertantur.*
- II. Poſteris Æneæ. *Vid. ſeq.*

*Dixerat Anchiſes: natumque unaque Sibyllam*
[a] *Conventûs trahit in medios,* [b] *turbamq; ſonantem:*
*Et tumulum capit, unde omnes longo ordine poſſit*
*Adverſos* [c] *legere, & venientum diſcere vultûs.*
*Nunc age,* [d] *Dardaniam prolem quæ deinde ſequatur*
*Gloria, qui maneant Italâ de gente nepotes,*
*Illuſtres animas, noſtrumque in* [e] *nomen ituras,*
*Expediam dictis, & te tua* [f] *Fata docebo.*
*Ille (vides?)* [g] *purâ juvenis qui nititur haſtâ,*
[h] *Proxima ſorte tenet lucis loca:* [i] *primus ad auras*
*Ætherias Italo commiſtus ſanguine ſurget,*
[k] *SYLVIUS, Albanum nomen,* [m] *tua poſthuma proles:*
*Quem tibi longævo ſerum Lavinia conjux*
*Educet ſylvis regem, regumque parentem:*
[n] *Unde genus longâ noſtrum dominabitur Albâ.*
[o] *Proximus ille, PROCAS, Trojanæ* [p] *gloria gentis,*
[q] *Et CAPYS, &* [r] *NUMITOR: & qui te nomine reddet,*
[s] *SYLVIUS ÆNEAS, pariter pietate vel armis*
*Egregius;* [t] *ſi unquam regnandam acceperit Albam.*
*Qui juvenes quantas oſtentant, aſpice, vires!*
*At, qui* [u] *umbrata gerunt* [x] *civili tempora quercu,*
*Hi tibi* [y] *Nomentum & Gabios, urbemq;* [z] *Fidenam,*
*Hi Collatinas imponent montibus arces:*
*Pometios,* [a] *Caſtrumque Inui, Bolamque,* [b] *Coramq;,*
[c] *Hæc tum nomina erunt, nunc ſunt ſine nomine terræ.*

*Quin*

a) In multitudinem frequentem, umbrarum numerum.
b) Alludit ad fremitum populi & concionis.
c) Conſiderare, perluſtrare, diſcernere.
d) Albanos & Romanos per antonomas.
e) Familiam, gentem.
f) Bella gerenda, & eorũ exitũ.
g) Sine ferro, non celata, non incruſtata, non præpilata. Alii incruenta.
h) i. e. Primus ex te naſcetur.
i) Fili⁹ ex Lavinia procreand⁹
k) In Sylvis natus, quò fugerat Lavinia, metu Aſcanii, poſt mortem Æneæ.
l) Omnes enim Albani reges Sylvii dicti.
m) Apoſtr. ad filium Ænean.
n) Trecentos ferè annos Sylvii poſteritas Albæ regnaſſe proditur.
o) Nõ tempore aſcendendi in vitam, ſed ſtandi loco coram Anchiſe; erat enim XIII. rex Albanorum, pater Numitoris & Amulii.
p) Utpote avus Rheæ Sylviæ, matris conditorum urbis Romanæ.
q) Carminis neceſſitate regũ ordinem confudiſſe videtur; Septimus enim Capys ab Aſcanio numeratur.
r) Decimus quartus vel quintus ab Aſcanio.
s) In ſerie 3. Sylvii Aſcanii fili⁹.
t) Vix n. & ſerò, anno 53. recuperavit regnũ, quod invaſerat tutor ipſius.
u) Quæ corollis virtute partis inumbrãtur.
x) Corona civica, quernea, quercea, ob cives ſervatos, & urbes conditas.
y) Omnes hæ Latinorum urbes fuerunt, ab Albanis conſtitutæ, & bona ex parte à Rom. regib⁹ deletæ.
z) Hodie Caſtel Jubileo, ab urbe 5. mill.
a) Hodie Cornetto.
b) Hodie retinens nomen.
c) Non ait Anchiſes, ea loca ſic in præſenti vocari, ſed olim ea nomina à conditoribus ſuis hujusmodi appellationes ſortitura.

- Poſteri Æneæ enarrantur vel:
  - I. Glorioſi, qui ſunt vel:
    - 1. Albani, ubi notetur:
      - 1. Præhnarratio, videl. Anchiſæ
        - I. πραχθέντων, deductio à
          - 1. ſubjectis
            - 1. perſonis
              - 1. Æneæ.
              - 2. Sibyllæ.
            - 2. termino, ad animarũ conventum.
            - 3. loco, colliculo.
          - 2. fine, ordinata poſterorum
            - 1. conſpectione.
            - 2. agnitione.
        - 2. λεχθέντων, promiſſio
          - 1. poſteritatis
            - 1. à cauſa, Dardano.
            - 2. ab adjuncta gloria.
            - 3. à ſubjectis per expolitionem
              - 1. Albanis.
              - 2. Romanis.
          - 2. Bellorum ab Ænea gerendorum.
      - 2. Narratio per diſtrib. à Cauſa
        - 1. Procreante ſeu fundatore Sylvio, qui deſcribitur:
          - 1. ab habitu & genere armorum, haſtatus.
          - 2 ab ordine naſcendi primo per expolitionem.
          - 3. à familia materna, Latina.
          - 4 à nomine, Albanis regib9 communi, videl. Sylvius.
          - 5. à tempore nativitatis, poſthumus.
          - 6. à matre, Lavinia, altera conjuge.
          - 7. ab educationis loco, in Sylvis.
          - 8. à regia poſteritate.
          - 9. à loco regni, Alba longa.
        - 2. Conſervante, ſeu continuatoribus, qui narrantur:
          - 1 definitè
            - 1. ab expreſſis nominibus
              - 1. Procas, ab effectu glorioſo avo Romuli.
              - 2. Capys.
              - 3. Numitor.
              - 4. Sylvius
                - 1. à nominis æqualitate.
                - 2. à pietate & fortitudine.
                - 3. à ſera ſucceſſione.
            - 2. ab adjunctis viribus.
          - 2. indefinitè ab
            - 1. habitu, corona civica.
            - 2. effectu, condendis urbibus per
              - 1. Congeriem,
                - 1. Nomentum.
                - 2. Gabij.
                - 3. Fidena.
                - 4. Collatia.
                - 5. Pometia.
                - 6. Caſtrũ Inui.
                - 7. Bola.
                - 8. Cora.
              - 2. Epiphonema de locis pro tempore anonymis.
    - 2. Romani, vid. ſeq.
  - II. Luctuoſi, ex Morte Marcelli. vid. ſeqq.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-356869-p0081-6

*Quin & [a] avo comitem ſeſe Mavortius [b] addet*
*Romulus, [c] Aſſarici quem ſanguinis [d] Ilia mater*
*Educet. Viden', ut [e] geminæ ſtent [f] verticæ [g] criſtæ,*
*Et pater ipſe ſuo [h] ſuperûm jam ſignet honore!*
*En hujus, nate, auſpiciis [i] illa inclyta Roma*
*Imperium terris, animos æquabit Olympo:*
*[k] Septemque [l] una ſibi muro circundabit [m] arces,*
*Felix prole [n] virûm: [o] qualis Berecynthia [p] mater*
*Invehitur curru Phrygias [q] turrita per urbes,*
*Læta Deûm partu, centum complexa nepotes,*
*Omnes [r] cœlicolas, omnes ſupera alta tenentes.*

*Huc*

a) Romulus Martis ex Ilia fili9 Numitori avo regnum reſtituet, & cum eo regnabit aliquandiu.

b) Adjunget ſe ſocium in vindicando regno Albano ab Amulio per Tyrannidem occupato.

c) Prognatã dicit Rheam Trojanorum regum ſanguine; Trois n. filius fuit Aſſaracus pater Capyos, unde Anchiſes Æneæ pater deſcenderat.

d) Numitoris filia Rhea vel Ilia dicta, à patruo Amulio per honoris ſpeciem Veſtalis facta, à Marte, cùm fortè aquã pro ſacris hauſtura exiiſſet, compreſſa fuit, ex quo Romulum & Remum concepiſſe dicitur; quos cùm enixa eſſet, ad Tyberim exponi juſſit Amulius, ipſamq; apud eandem amnem defodi vivam: pueri inventi in ripa, à Fauſtulo paſtore ablati, & uxori Laurentię educandi traditi ſunt, ubi cùm adoleviſſent, à paſtore de genere ſuo edocti, Amulium trucidant, & Numitori Patruo regnũ reſtituunt. e) Mutata numeri ſpecie Geminas pro Duas dixit. f) Ellipſis præpoſ. In. g) Galearum coronæ à gallorum gallinaceorum criſtis ducta ſimilitudine. h) Syncope pro Superorum. Divinitatem ſignificat, qua à patre Marte donatus creditur Romulus. i) Emphaticè ſignat urbem orbis Dominam. k) Septem colles: Aventinns, Quirinalis, Cœlius, Palatinus, Cœliolus, Viminalis, Capitolinus. Alii pro Cœliolo & Capitolino, Exquilinum & Janicularem ſufficiunt.

l) Hypallage pro uno muro. m) Veteres montium ſummitates Arces vocare ſolent. Horum collium medius Palatinus in medio urbis ſitus erat, in quo multò antè conſederat Evander, ubi Pallanteum obſcurum & humile oppidulum condiderat. n) Syncope pro virorum; non ſexus, ſed virtutis & fortitudinis ſignificatione: i.e. virorum fortium & magnanimorum.

o) Comparatione eleganti, à Matris Deorum tacito gaudio, ex memoria & recordatione numeroſiſſimæ prolis, qua urbis felicitatem pervenuſtè amplificat. p) Cybele, mater Deorum, Ops & Terra, vel Tellus dicta. q) An quia urbis Midæ clauſæ muros capite levavit ingreſſa? an quòd prima turres dedit urbibus? an quia eadem cum Veſta, quæ terra?

r) A ſimili inferre voluit Poëta, duces Romanos illuſtres Heroas futuros, & propter beneficia & pietatem in patriam tandem in divorum numerum relatum iri.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-356869-p0082-2

## TAB. XXXVII.

Romani poſteri *ſunt vel:*

- I. Fundatores:
  - 1. Regni, *videl.* Romulus *deſcriptus*
    - 1. à majoribus
      - *1. Avo* Numitore.
      - *2. Parentibus*
        - *1. Patre* Marte.
        - *2. Matre* Ilia, *ſanguinis Aſſaraci.*
    - 2. ab habitu, *cujus*
      - *1. ſignum ſunt geminæ criſtæ.*
      - *2. ſignatum, Apotheoſis.*
    - 3. ab effectu, condendæ Romæ, *quæ deſcribitur:*
      - *1. ab Imperij magnitudine.*
      - *2. ab animorum celſitudine.*
      - *3. à ſitus latitudine, à ſeptem collibus.*
      - *4. à prolis multitudine:*
        - *1. per Exclamationem felicitatis.*
        - *2. per Comparationẽ Cybeles:*
          - *1. à ſubjecto loco, Berecyntho caſtello vel monte Phrygiæ.*
          - *2. ab habitu, coronata turribus.*
          - *3. ab effectu, quòd*
            - *1. Filios Deos peperit.*
            - *2. Nepotes vidit,*
              - *1. à numero certo pro incerto, centenario.*
              - *2. à conſequenti Apotheoſi per expolitionem.*
  - 2. Imperii, *videl.* Auguſtus. *vid. ſeq.*
- II. Aſſertores. } *Vid. ſeqq.*
- III. Auctores. } *Vid. ſeqq.*

*Huc geminas*[a] *huc flecte acies:*[b] *hanc aſpice gentem,*
*Romanosque tuos. Hic*[c] CÆSAR, *& omnis* IULI.
*Progenies, magnum cœli*[d] *ventura ſub axem.*
Hic vir, hic eſt, *tibi quem promitti ſæpius audis,*
AUGUSTUS CÆSAR, [f]*divûm genus*: aurea condet
Sæcula qui rurſus Latio, *regnata per arva*
[h]*Saturno quondam:*[i] *ſuper & Garamantas & Indos*
*Proferet Imperium. Jacet*[k] *extra ſidera tellus,*
*Extra anni ſolisque*[l] *vias,*[m] *ubi cœlifer*[n] *Atlas*
[o]*Axem humero torquet ſtellis ardentibus aptum:*
*Hujus in adventu jam nunc & Caſpia regna*
[p]*Reſponſis horrent divûm, & Mæotica tellus,*
*Et*[q] *ſeptem gemini*[r] *turbant trepida oſtia Nili.*
*Nec verò Alcides tantum telluris obivit,*
*Fixerit*[s] *æripedem cervam licèt, aut Erymanthi*
*Placarit nemora, & Lernam*[t] *tremefecerit arcu:*
*Nec qui*[u] *pampineis victor juga flectit habenis*
*Liber, agens celſo Nyſæ de vertice tigres.*
Et[o] dubitamus adhuc virtutem extendere factis?
*Aut metus Auſoniâ prohibet conſiſtere terrâ?*

Quis

a) Aliis Nunc. Sed repetitione videtur excitari attentio.

b) Tranſit ad celebrationem Cæſaris Dictatoris & Auguſti, omiſſis intermediis, pluribus de cauſis. 1. ut Iuliæ gentis progeniē antiquitate donet. 2. ut Principi ſuo aduletur, ſub quo Populi R. imperium longè ampliſſimū erat. 3. Ne lectorem ad Cæſaris laudes properantē nimiùm remoretur, aut præcedentium encomiis fatiget. 4. Ut Cæſarē & Auguſtū cum Romulo exæquet, & parem factis oſtendat.

c) Julius Dictator, qui primus Monarchiam introduxit & ſtabilivit, ſic ut hæreditariam faceret genti ſuæ.

d) Aſſecutura cœleſtes honores, præter peſtes illas, & mōſtraveriùs; quàm homines, Caligulam, Claudium, Neronem, & alios, quorum imperium in tyrannidem exiit.

e) Octavius à puero dictus, poſtea Cæſar, ex teſtamento Cæſaris, patris adoptivi vocatus: deniq; honorifica & ampliſſima Auguſti appellatio à Senatu illi fuit decreta.

f) Alii habent Divi genus, i. e Cæſaris: fuit enim Julius Auguſti avunculus major. g) Tanta enim tranquillitate devictis hoſtibus totos quadraginta annos remp. gubernavit, ut nova mundo facies inducta videretur, adeò ut ejus tempora dicerentur aurea h) Ætates mundi 4. fuiſſe tradunt: auream, argenteam, æneam, ferream: Prima Saturno regnante in Italia, quā mortales ſanctiſſimè nondum legibus adſtricti vixiſſe produntur, & ſua ſponte fidem ſervaſſe, bella non noviſſe, victu ſimplici uſi. At Saturno pulſo, ſub Jove omnia in deterius labi cœpere, unde eam ætatem dixere argenteam.

i) Ab Europa extendet imperium in Africam & Aſiam, in illa Garamantes, in hac Indi.

k) Vult Poëta, ſi qua tell⁹ ultra tropicū Capricorni habitabilis eſt, ea Imp. Rom. ſub Auguſto adjicietur.

l) Zodiacum. m) Æthiopiam ſignificat, quæ circa hybernum occaſum, ad ultimam occidentis orā reſpicit. n) Atlas fuit rex Mauritaniæ Aſtronomiæ peritiſſimus, quem Poëtæ per fabulam in montem converterunt immenſæ altitudinis, ut cœlum ſuſtinere videatur. o) Cœleſtem globū. Synecd.

p) Oracula utcunque defecerunt nato Chriſto, naſcituro tamen Oraculis ab omni parte mundi, quà Caſpium mare in Aſia, quà Mæotis palus in Europa, quà Nilus in Africa, reſponſum eſt: Toti orbi terrarum naſciturum invictum Imperatorem, quod ſiniſtrè ad Auguſtum trahebant, unde ſervitutē horrebant trepidi. q) Septem oſtiis mare intrantis r) Pro turbantur. Enallage generis.

s) Synær. pro aëripedem, ut volunt nonnulli. t) Mioſis. Minus dicit, quàm factū. u) Bacchus vehebatur curru, quem traxere Tigres junctæ, quas ille pampineis regebat habenis. x) Dubitas. Synecd.

## TAB. XXXVIII.

Auguſti deſcriptio conſtat:

- I. Captatione attentionis exhortando
  - 1. ab inſtrumentali cauſa: huc verte aciem oculorum.
  - 2. ab objecto
    - 1. indefinito, gente Romana.
    - 2. definito
      - 1. Iulio Cæſare.
      - 2. Iulia progenie.
- II. Propoſitione per exclamationem, quæ oſtendit Auguſti divinam
  - 1. promiſſionem.
  - 2. originem.
- III. Confirmatione ab effectis:
  - 1. Aurei ſeculi reſtitutione
    - 1. à ſubjecto in Latio.
    - 2. ab efficiente prima, Saturno.
  - 2. Imperij ampliatione:
    - 1. à ſubjecto termino ad quem
      - 1. ſupra Garamantas & Indos.
      - 2. extra Zodiacum & Tropicos.
      - 3. usq; ad Atlantem, ab effecto.
    - 2. ab adjuncto populorum terrore, cujus impulſiva
      - 1. Adventus Auguſti.
      - 2. Reſponſa Oraculi.
    - 3. à diſtributione: Caſpij, Scythæ, Ægyptij.
    - 4. à Comparatis majoribus,
      - 1. Hercule, ubi
        - 2. Propoſitio: non Hercules tot obiit terras.
        - 2. Amplificatio facinorum, q; occidit
          - 1. Cervam æripedẽ, æneis pedibus terribilem.
          - 2. Aprũ ferociſſimũ in Arcadiæ monte Erymantho.
          - 3. Hydram Lernæã.
      - 2. Baccho ab effectis
        - 1. viniculturæ inventione.
        - 2. Tigrium Indicarum impulſione.
- IV. Clauſula per epiphonema, quo pater hortatur filium
  - 1. in genere, ad virtutem exercendam.
  - 2. in ſpecie, ad Italiam capeſſendam.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-356869-p0085-9

[a] *Quis procul ille autem ramis inſignis olivæ,*
*Sacra ferens? noſco crines* [b] *in canaque menta*
REGIS ROMANI: *primus qui* [c] *legibus urbem*
*Fundabit, (Curibus parvis & paupere terrâ*
*Miſſus in imperium magnum. Cui deinde* [d] *ſubibit*
[e] *Otia qui rumpet patriæ,* [f] *reſidesque movebit*
[g] TULLUS *in arma viros, & jam deſueta triumphis*
*Agmina: quem juxta ſequitur* [h] *jactantior* [i] ANCUS,
*Nunc quoq; jam* nimiùm gaudens [k] popularibꝰ [l] auris.
*Vis &* [m] TARQUINIOS *Reges; animamq́;* [n] *ſuperbam*
ULTORIS [o] BRUTI, [p] *faſcesque videre receptos?*
CONSULIS *imperium, hic primus, ſævasque ſecures*
*Accipiet: natosque pater, nova bella moventes,*
*Ad pœnam pulchrâ pro libertate vocabit,*
[q] *Infelix: utcunque ferent ea facta* [r] *minores,*
Vincet amor patriæ laudumq; immenſa cupido.
*Quin* [t] DECIOS, [u] DRUSOSQ; *procul, ſævumq́; ſecuri*
*Aſpice* [x] TORQUATUM, *& referentem* [y] *ſigna* CAMILLUM.

*Illæ*

a) Deſultoria relatione redit ad reges Romanos; quoniam v. ſucceſſio regiæ ſtirpis in Romulo defecit, ut ab alienigenis deinceps regnari cœperit, fingit Anchiſes, ſe ægrè agnoſcere Numam, à Curibus Sabinorum urbe accitum in regnũ Rom, pacis, religionis, legum latorem, qui poſt Romulum regnaturus eſſet. b) Valdè cana. Numa 80. años attigit. c) Religione & legibus inſtruet urbem à Romulo armis bene munitam. d) Succedet. e) Pacem ſub Numa 43. annis integrã habuerant Romani, quam Tullus occaſione à Civilio Albanorum rege oblata rupit. f) Otioſos, nimium ſedentes. g) Nepos Hoſtii Hoſtilii, qui ſub arce à Sabinis capta fortiter pugnans occubuerat, ingenio non minùs feroci, quàm Romulus: indignum ratus, tantam urbẽ otio torpeſcere. h) Quòd ſc. ex regia Numæ ſtirpe prognatus eſſet; quam nobilitatem anteceſſor jactare non poterat. i) Martius dictus, Numæ ex filia nepos. k) Quippe cui favore Patrũ & Plebis delatum regnũ. l) p metaph. gratiam & favorem Populi intelligit. m) Priſcum 5. regem & Tarquinium Superbum 7.; omiſſo Servio Tullo, qui ſextus è ſerva natus, ob ſtirpis obſcuritatem ab Anchiſe prætermiſſus: hic à Tarquinio genero trucidatus, per cujus cadaver filia carpentum egit. n) Nobilem animam, illuſtrem ac generoſam; quippe qui Pop. R. Superbi tyrannide oppreſſum, in libertatem vindicare auſus fuit, expulſis urbe regibus Tarquiniis. o) Hic patre ſuo per invidiam à Superbo occiſo, ſtuporem & amentiam, uti ludibrio potius, quàm formidini eſſet regi, de induſtria ſimulavit; unde à ficto ſtupore Bruti cognomen nactus eſt, alias L. Junius dictus. p) Imperium conſulare. Metonym. ſigni pro ſignato. q) Exclamatio ſeu Epiphonema in infelicitatem Bruti, quòd naturalem στοργὴν poſtpoſuit amori patriæ. r) i.e. Nepotes. Utcunq; judicabunt poſteri de hoc Bruti facto, patriæ tamen amor & juſtitiæ laus præponderabunt naturalem affectum. s) Exclamatio in factum Bruti laudabile. t) Pater & filius egregiè reip. operam navarunt; ille bello Latino, pro rep. ſe devovens, in mediam Latinorum aciem ſe conjecit: hic patris exemplum ſecutus, contra Gallos idem feciſſe putatur. u) Horum alter Haſdrubalem vicit, alter Auguſti privignus Germanos domuit. x) Hic Dictator filium ſecuri juſſit cædi, quòd provocatus ab hoſte contra imperium paternum pugnaſſet, quantumvis victor. y) Quæ Galli victis Romanis abſtulerant. z) Furium, qui Gallos Brenno duce Romam opprimentes Italia expulit.

Aſſertores Regni Romani *ſunt vel:*

- I. Reges
  - 1. Numa Pompilius
    - *1. ab adjunctis*
      - *1. Signis pacis & religionis.*
      - *2. Canitie.*
    - *2. ab effectis, religionis & legũ fundatione.*
    - *3. ab oppoſitis, patria ignobili, magno Imperio.*
  - 2. Tullus Hoſtilius *ab effectis*
    - *1. bellorum ſuſceptione.*
    - *2. otioſorum excitatione, per expolitionem.*
  - 3. Ancus Martius *ab adjuncta*
    - *1. arrogantia ob ſtirpem regiam.*
    - *2. lætitia ob popularem auram:*
  - 4. Tarquinius Priſcus & Superbus.
- II. Conſulatus cauſa:
  - 1 Procreans Brutus
    - *1. ab adjuncta magnanimitate.*
    - *2. ab effectu*
      - 1. *vindicavit*
        - *1. libertatem publicam.*
        - *2. pudorem Lucretiæ.*
      - 2. *Conſulatum primus geſſit, qui deſcribitur à ſignis,*
        - *1. faſcibus.*
        - *2 ſecuribq.*
      - *3. filios morte mulctavit, ubi*
        - *1. Culpa, Tarquinianæ conjurationis participatio.*
        - *2. Pœna, capitis ſupplicium, impulſu libertatis.*
        - *3. Fama poſterorum*
          - *1. mala ob ſævitiam in liberos.*
          - *2 bona ob*
            - *1. patriæ libertatem.*
            - *2. laudis cupiditatem.*
  - 2. Conſervans
    - *1. Duo* Decii.
    - *2. Duo* Druſii.
    - *3.* Manlius Torquatus, *ab adjuncta ſævitia in filium.*
    - *4.* Camillus *à victoria contra Gallos.*



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-356869-p0087-0

*Illæ autem,* [a] *paribus quas* [b] *fulgere cernis in armis,*
*Concordes animæ* [a] *nunc, & dum* [d] *nocte premuntur,*
*Heu quantum inter ſe bellum, ſi lumina vitæ*
*Attigerint, quantas acies ſtragemque ciebunt!*
[e] *Aggeribus* [f] SOCER *Alpinis, atque arce* [g] *Monœci*
*Deſcendens* GENER, [h] *adverſis inſtructus* [i] *Eois,*
Ne, [k] pueri, [l] ne tanta animis [m] aſſueſcite bella:
Neu [n] patriæ validas in [o] viſcera vertite vires.
[p] Tuq; prior, tu parce, [q] *genus qui ducis Olympo:*
*Projice* [r] *tela manu, ſanguis meus!*

*Ille*

a) Cæſaris & Pompeii; quorũ hic parem, ille ſuperiorem ferre non potuit.
b) Enallage conjugationis tertiæ pro ſecundæ.
c) Noñulli intelligunt: quandiu hic apud umbras ſunt, nondum ingreſſæ vitam. Alii alluſionem quærunt: Dum Cæſar & Pompejus humiles fuere, concordiam aluerunt; ſed rerum geſtarum gloria clari in mutua bella venerunt.
d) Metaphora, ſive pro morte, ſive pro obſcuritate & humilitate fortunæ ſumas.
e) Pro Montibus. Nam Alpibus, ceu aggeribus quibusdam, circumdata eſt Italia, per quas Cæſar Germanorum & Gallorum robore inſtructus, adverſus Pompejum in Italiam deſcendit.
f) Cæſar Pompejo filiam Juliam in matrimonium dedit, quæ ſi vixiſſet, forſan arma utrique de manibus extorquere potuiſſet.
g) Monœcus etiam Herculis portus dicitur, quòd ibi habitarit, vel quòd in ejus templo nullus cum eo Deus coleretur, quaſi μόνος οἰκῶν, ſolus inhabitans, unde & Hercules Monœcus dictus.
h) Ex adverſo venientibus.
i) Copiis inſtructus orientalibus, quibus Romanorum legiones XI. equitum VII. millia adjunxit.
k) Pueros vocat, tanquam è ſua ſtirpe exorituros.
l) Affectus inſunt repetitæ particulæ Ne.
m) Enallage generis, pro aſſuefacite animos bellis.
n) Non eſt exiſtimandum, Anchiſen eos omninò dehortari à bellis, quibus imperium ac patriæ communis ſalus defendatur; ſed duntaxat à bellis civilibus & inteſtinis, quæ omnes reſp. evertunt.
o) Quadam proſopopœiæ forma Romæ, ceu vivæ perſonæ, viſcera tribuit, in cujus corpus ferrum acuatur.
p) Cæſaris victoris clementiam obiter commendat.
q) A Jove, & ejus filia Venere, ex qua Anchiſes Æneam ſuſcepit, unde Julus Aſcanius, cujus nomen habebat Cæſar.
r) Arma, inſtrumenta belli. Synecdoche ſpeciei pro genere.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-356869-p0088-6

## TAB. XXXX.

- Auctores Rom. Imperii *ſunt:*
  - I. Principales, Cæſar & Pompejus:
    - *1. ab habitu, fulgore armorum.*
    - *2. ab affectu mutuo*
      - *1. juvenili concordia, vel apud inferos.*
      - *2. virili diſcordia, vel apud ſuperos.*
    - *3. ab effecto,* bello civili, *quod deſcribitur:*
      - *1. ab adjuncta magnitudine, per exclamationem patheticam.*
      - *2. ab effectis, præliorum multitudine.*
      - 3. *ab efficiente,* belligerantium neceſſitudine:
        - 1. Julius Cæſar ſocer *deſcribitur à ſubjecto loco*
          - *1. montibus Alpinis.*
          - *2. portu Liguſtico.*
        - 2. Pompejus gener *ab adjunctis copiis auxiliaribus Orientalibus.*
      - 4. *ab oppoſita* Anchiſæ manſuetudine, *cujus*
        - *1. Exordium captat benevolentiam familiari & paterna compellatione: pueri, i.e. filij mei.*
        - *2. Propoſitio dehortatur à bello inteſtino.*
        - *3. Confirmatio ab*
          - *1. inutili: ſævire in patriæ viſcera damnoſum eſt.*
          - *2. inhoneſto: Cæſar, tuum eſt parcere, qui genus ducis à Jove.*
        - *4. Clauſula conſtat*
          - *1. propoſitione repetita: projice tela.*
          - *2. motu: quia es ſanguis meus.*
  - II. Minùs principales. *Vide ſeq.*

*Ille* [a] *triumphatâ* [b] CAPITOLIA *ad alta* [c] CORINTHO
*Victor aget currum, cæſis inſignis* [d] *Achivis:*
*Eruet* [e] *ille Argos,* [f] *Agamemnoniasque Mycenas:*
*Ipſumque* [g] *Æacidem,* [h] *genus armipotentis* [i] *Achilli,*
*Ultus* [k] *avos Trojæ, templa &* [l] *temerata Minervæ.*
[m] *Quis te, magne* [n] CATO, *tacitum, aut te* [o] COSSE *relinquat?*
*Quis* [p] GRACCHI *genus? aut* [q] *geminos, duo fulmina belli,*
[r] SCIPIADAS, *cladem Lybiæ? parvoque potentem*
FABRICIUM? *vel te ſulco,* [t] SERRANE, *ſerentem?*
*Quò feſſum rapitis* [u] FABII? *tu* [x] *maximus ille es,*
Unus qui nobis cunctando reſtituis rem.
*Excudent alij ſpirantia molliùs æra;*
*Credo equidem, vivos ducent de marmore vultûs:*
*Orabunt cauſas meliùs: cœlique meatus*
*Deſcribent radio, & ſurgentia ſidera dicent:*
Tu regere imperio populos, Romane, memento,
(Hæ tibi erunt artes) paciq; imponere [y] morem:
[z] Parcere ſubjectis, & debellare ſuperbos.

a) In triumphum ducta, vel cũ triumpho devicta; de qua L. Mumm⁹ triumphũ ſit acturus.
b) Mos erat, ut triumphantes curru in urbem & Capitoliũ inveherentur.
c) Urbs Corinthiæ, in extremo Iſthmi, ubi Peloponneſus incipit, à Corintho Marathonis filio dicta, antea Ephyræa; nunc Morea: hanc Cicero totius Græciæ lumen vocat pro Lege Manilia, atq; everſam dicit, quòd Legati Rom. à Corinthiis contra jus gentium eſſent violati, & præcipuè à Critolao urbis principe.
p) Achæis, Chalcidenſibus, & Bœotis, quorum freti auxiliis, tam certam ſibi de Romanis victoriam promiſerant, ut priuſquam in pugnam iretur, nonnulli currus educerent, ad hoſtium ſpolia in urbem reportanda; ſed ſpe nimium falſi, triſte ſuis ſpectaculũ præbuere. Uti quondam Veneti.
e) Alii intelligunt Curiũ dentatum, qui Pyrrhum Epirotarum regem vicit.
f) Peloponneſi urbs, non procul ab Argis, in qua Agamemnon natus regnavit.
g) Et Macedonũ & Epirotarum reges ortum ab Achille Æaci nepote traxiſſe conſtat. h) Appoſitio.
i) Genitivus Græcus, pro Achillis. k) Majores ſuos Trojanos, unde Romani originem ducturi ſint.
l) Polluta, contaminata, à Diomede, furto Palladii; & Ajace Oilei filio, ſtupro Caſſandræ.
m) Per apoſtrophen & breves interrogationes multos coacervat, ut feſtinet ad Epilogum.
n) Optimus, maxim⁹ Orator, Senator, Imperator, Paterfamilias. o) Hic victo Larte Tolumnio Vejentum rege opima ſpolia Jovi Feretro tulit. p) Hic bis conſul, bis triumphator, filios duos habuit eloquentia claros, ſed infelices. q) Numerus diſtributivus pro cardinali. r) Horum Major Carthaginem fecit tributariam, Minor delevit. s) Hic cùm auro vinci non poſſet, vicit auri poſſeſſores Samnites, vir frugaliſſimus. t) Attilium Cincinnatum à ſerendo Serranum dictum.
u) Fabiorum CCCVI. bellum contra Vejentes conficiendum peculiariter ſibi depopoſcerunt; ſed profecti, uno domi in cunis relicto, omnes hoſtium inſidiis ad Cremeram periere.
x) In cunis relictus, ſolus ſuperſtes cunctando Hannibalem fregit, ſeque criminantem Minutium hoſtium manibus eripuit. y) Leges pacis. z) Boni principis officium eſt, imperio parere detrectantes bello perſequi; bonos verò & ſupplices tueri.

Sic

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-356869-p0090-0

**Auctores minùs principales *deſcribuntur:***

- I. *Congerie*
  - 1. L. Mummius, *ab effectis,*
    - *1. Corinthi everſione & triumphatione.*
    - *2. Achivorum internecione.*
  - 2. Paulus Æmilius, *ab effectis*
    - *1. everſione Argorum & Mycenarum.*
    - *2. devictione Perſis Macedonum regis.*
    - *3. ultione Trojæ & Minervæ.*
  - 3. Cato Major Cenſorius.
  - 4. Cornelius Coſſus *Tribunus militum; aliis Conſul & Dictator.*
  - 5. Gracchi; Sempronius *pater: filij* Tiberius *&* Cajus.
  - 6. Duo Scipiones *belli terrores.*
  - 7. Fabricius *paupertate glorioſus.*
  - 8. Serranus *ab agro vocatus Dictator.*
  - 9. Fabii
    - *1. in genere, per exclamationem.*
    - *2. in ſpecie,* Maximus Cunctator *Hannibalis victor.*
- *II. Comparatione imparium, cujus*
  - *1. Protaſis per diſtrib. excellant alii aliis,*
    - 1. Corinthii *metallorũ conflatura.*
    - 2. Parii *ſtatuaria.*
    - 3. Athenienſes *Eloquentia.*
    - 4. Chaldæi *&* Ægyptii *Aſtronomia.*
  - *2. Antapodoſ. ꝑ apoſtrophẽ: Vos* Romani *excelletis*
    - *1. imperandi Sapientia.*
    - *2. belligerandi Prudentia*
      - *1. moderando pacem.*
      - *2. parcendo ſubmiſſis.*
      - *3. debellando rebelles.*

Sic pater [a] Anchiſes: atque hæc mirantibus addit:
Aſpice ut inſignis [c] ſpoliis [d] Marcellus [e] opimis
Ingreditur, victorque viros [f] ſupereminet omnes.
Hic rem Romanam, magno [g] turbante [h] tumultu,
[i] Siſtet eques: ſternet [k] Pœnos, [l] Gallumque rebellem:
[m] Tertiaque arma patri ſuſpendet capta [n] Quirino.
Atque hic [o] Æneas (unà namque ire videbat
Egregium formâ juvenem & fulgentibus armis:
Sed frons læta parùm, & [p] dejecto lumina vultu)
Quis, pater, [q] ille, [r] virum qui ſic comitatur euntem,
Filius? anne aliquis magnâ de ſtirpe nepotum?
Quis [s] ſtrepitus circa comitum! quantum [t] inſtar in ipſo eſt!
Sed [u] nox atra caput triſti circumvolat umbrâ.

Tum

a) Ellipſis verbi, Ait.
b) Æneæ & Sibyllæ.
c) Gallorum duci Virdumaro ad Claſtidium oppidum detractis.
d) Claudius Marcellus, qui primus docuit Annibalem poſſe vinci; Syracuſas tres annos obſedit, & tandem expugnavit, quinquies Cõſul: Poſtremo Conſulatu, dum ad occupandum Collem quendam cum paucis proficiſcitur, inſidiis circumventus occiſus eſt, magnificeque ab hoſte Annibale virtutis cauſa elatus.
e) Opima propriè appellantur ſpolia, quę duci dux in prælio occiſo detrahit; qualia primus Jovi Feretrio dedicaſſe ſcribitur Romulus: ſecundus Cor. Coſſus: tertius hic Marcellus.
f) Gloria rei militaris, prudentia & virtute.
g) Enallage generis, pro: magnis tumultibus turbatam.
h) Diſertè Ciceronis authoritatem & definitionem, quod ad tumultus ſignificationem attinet, ſecutus eſt Poëta. Eſt enim propriè tumultus aut domeſticus, ut Italicus; aut finitimus; ut Gallicus, de quo hic agitur. i) Componet, corroborabit. Nam Claſtidium à Gallis oppugnatum, cum equitatu & parte pedeſtrium copiarum, ſumma feſtinatione properavit, Galloſque inde repulit atque fudit, magna eorum parte in Padum præcipitata, cæſoque eorum duce.
k) Bis enim ad Nolam vicit Annibalis exercitum numeroſiſſima Pœnorum multitudine conſtantem.
l) Synecdoche Singularis pro Plurali, i.e. Gallos Inſubres. Aptiſſimè rebellem vocat, quòd ſæpius victus, & in deditionem receptus iterum bellum inſtauraret.
m) Ex lege Numæ prima ſpolia ſuſpendebantur Jovi; ſecunda Marti: tertia Romulo urbis conditori, Patriæ Patri.
n) Romulo, ab haſta, quâ utebatur, ſic dicto; Sabini enim haſtam Curim, vel Quirim vocabant: ſecundùm alios à Quiritibus, vel Curibus. o) Ellipſis verbi: incipit fari, aut loquitur.
p) Mœſtitiam & verecundiam coarguunt oculi in terram dejecti. Innuit autem immaturam Marcelli junioris mortem anno ætatis XVIII.
q) Monſtrat Marcellum Octaviæ Sororis Auguſti & Cn. Marcelli filium, cui in filium adoptato, Juliã filiam ſuam, tantùm pueritiam egreſſo nuptui dedit, quæ eo mortuo M. Agrippæ nupſit: quanquam leges fratri adoptivo nubere prohibebant. r) Marcellum, vel Auguſtum.
s) Plauſus popularis, vel pompa frequens Romanorum funus ejus ſequentium. Mirè enim charus populo fuit, non modò propter formæ decus, & futuram ſucceſſionem, ſed præcipuè propter affabilitatem, humanitatemque ſingularem.
t) Vel Exemplar, vel æquiparatio virtutis.
u) Mortis Germana, & præſagium. Poëtæ noctem pro morte uſurpant.

Luctuoſos Poſteros repræſentat Marcellus Junior; cujus immaturæ Mortis narratio conſtat:

- 1. Impulſiva, Æneæ quæſtione, cujus
  - 1. Occaſio eſt Marcelli
    - 1. Senioris oſtenſio
      - 1. ab efficiente, Anchiſa.
      - 2. ab impulſiva, admiratione Æneæ & Sibyllæ.
      - 3. ab adjunctis,
        - 1. ſpoliis opimis.
        - 2. gloria militari.
      - 4. ab effectis, quæ ſunt
        - 1. turbatæ Reip. corroboratio.
        - 2. Pœnorum & Gallorum internecio.
        - 3. ſpoliorum in honorem Romuli ſuſpenſio.
    - 2. Junioris conſpectio,
      - 1. à ſubjecto, Seniore Marcello, quem comitatur.
      - 2. ab adjunctis,
        - 1. formæ præſtantia.
        - 2. rei militaris gloria.
        - 3. triſtitia, à ſignis,
          - 1. frontis mœſtæ.
          - 2. vultꝰ dejecti.
  - 2. Forma conſtat
    - 1. Propoſitione: quis eſt ille, qui comitatur Marcellum?
    - 2. Amplificatione,
      - 1. à cauſa, cujus originis?
      - 2. ab adjuncto, quisnam comitatus?
      - 3. à comparatis, quàm ſimilimus Marcello.
      - 4. à contrariis privantibus, per expolitionem triſtitiæ.
- 2. Forma. Vid. ſeq.

*Tum pater Anchiſes lacrymis* [a] *ingreſſus obortis:*
*O nate, ingentem luctum ne quære* [b] *tuorum.*
[c] *Oſtendent terris hunc tantùm Fata, neque ultra*
*Eſſe ſinent! nimiùm vobis Romana* [d] *propago*
*Viſa potens, ſuperi,* [e] *propria hæc ſi dona fuiſſent.*
[f] *Quantos* [g] *ille* [h] *virûm magnam* [i] *Mavortis ad urbē*
[k] *Campus* [l] *aget gemitus! vel quæ,* [m] *Tyberine, videbis*
[n] *Funera, quum tumulum præterlabêre* [o] *recentem!*
*Nec puer* [p] *Iliacâ quiſquam de gente* [q] *Latinos*
*In tantum ſpe* [r] *tollet avos, nec* [s] *Romula quondam*
*Ullo ſe tantum tellus jactabit alumno.*
[t] Heu pietas, [u] heu priſca fides, *invictaq; bello*
*Dextera! non illi quiſquam ſe impunè tuliſſet*
[x] *Obvius armato, ſeu quum pedes iret in hoſtem,*
*Seu ſpumantis equi foderet calcaribus* [y] *armos.*
*Heu miſerande puer,* [z] *ſi qua fata aſpera rumpas,*
[a] *Tu* MARCELLUS *eris: manibus date lilia plenis:*
*Purpureos ſpargam flores:* [b] *animamque nepotis*
*His ſaltem accumulem donis, & fungar* [c] *inani*
*Munere:* ————— *Sic*

a) Loqui cœpit. b) Poſterorum, ut Auguſti & Octaviæ. c) Introibit hoc vitæ theatrū, tantùm ut exeat; quaſi ſtatim quàm editus eſt, è vita faceſſet: natus n. XVIII. años, vel ut alii XX. Antonii Muſę medici incuria periit. d) Metaph. à vitis ea parte, quę paulatim ducitur, & latiùs atque latiùs extenditur. e) Perpetua, diuturna. f) Pathos per admirationem à miſerabili pompæ funebris facie. g) Emphaticè non vulgarem campum deſignat. h) Syncope. i) Epentheſis. Romulus & Remus Martis filii credebantur; quare non injuria Martis urbem appellat, tanquam à Martis filiis conditam. k) Metonym. ſubjecti pro adjuncto; neq; n. campus ipſe, ſed frequens Populi Rom. multitudo chariſſimum ſibi principem lugebat. l) Ducet. m) Hic in Tyberi habitare credebatur. Alii metonym. intelligunt ipſum amnem, cui præſidet. n) Enallage numeri ꝑ auxeſin, cùm unum tantùm funus efferretur. Magnifico n. apparatu crematꝰ & ſepultus fuiſſe traditur lectis ſexcentis adornatis. o) In quo recens aggeſto Marcelli cineres conditi ſint. p) Antonomaſ. pro Romana. q) Romanos, qui de ſtirpe Latina per Romuli matrē duxerunt originem. r) Eriget ſpe futuræ gloriæ. s) Romulea, Romana, Italiæ terra. t) Exclamationis cauſa eſt, quòd tam præclara virtutum genera cum Marcello ſint ſepelienda. u) Repetita vocula dolentis mirè intendit ſeniles affectus. x) Enallage partis, vel caſus, pro obviam vel obvium. y) Non poſſunt armi calcaribus fodi, ſed poſuit partem pro toto. z) Utinam aliqua ratione fatalem neceſſitatem evitare poſſes. a) Nomen, quod tamdiu ſuſpendit, nunc demum reddit attentis, hoc conſilio, ut dolor bene poſitus audito filii nomine Octaviæ & Auguſto recrudeſceret. Nec Poëtam fefellit opinio: nam, cùm ad hunc locum perveniſſet recitando, dicitur Octavia in veſtigio ferè defeciſſe, atque ægrè, exanimata propè, ad ſe tandem reverſa fuiſſe, lacrymis ac ejulatu omnia miſcens: ſilentiumq; Poëtæ indici mandaſſe, verū̃m quòd pauciſſimos verſus reſtare affirmaret, tantillum adhuc ſpatium Poëtam impetraſſe, atque pro ſingulis verſibus, quorum erant XVIII. dena ſeſtertia accepiſſe. Eximium ſanè & opimum præmium pro tantillo verſuum; quippe IIIIMD. coronati, vel XIMCCL. floreni. b) Pro more funerum ornandorum, maximè juvenum, quorum immaturam mortem referebant flores decerpti & ſparſi. c) Cujus nullus ſenſus ad ipſum ſit perventurus.

*Forma narratæ* mortis Marcelli *conſtat:*

- *I. Captatione benevolentiæ, ab adjuncta illacbrymatione, & paterna compellatione.*
- *II. Propoſitione: Noli quærere luctum tuorum.*
- *III. Narratione, de*
  - *1. vitæ illius brevitate, per* μείωσιν.
  - *2. denegata longævitate.*
- *IV. Confirmatione,*
  - *1. ab inhoneſto,* Fatorum invidia, *per apoſtr. ad Superos*
    - *1. ab objecto: Romanorum potentia vobis viſa fuiſſet nimia.*
    - *2. à cauſa: ſi longævitatem conceſſiſſetis Marcello.*
  - *2. ab injucundo,* ingenti luctu, *per*
    - *1. Exclamationem, à ſubjectis,*
      - *1. viris, nedum mulieribus.*
      - *2. in Campo Martio.*
    - *2. Apoſtrophen ad Deum Tyberis à viſo*
      - *1. funere frequenti.*
      - *2. tumulo recenti.*
  - *3. ab inutili,* fruſtrata ſpe virtutis, *quæ*
    - *1. proponitur ꝑ compar. à ſubjectis,*
      - *1. Perſonis: nemo unquam majorem ſpem fecerit Romanis.*
      - *2. Loco: tota Italia de nullo Principe magis gloriata fuerit.*
    - *2. amplificatur ꝑ Exclamat. à*
      - *1. Pietate.*
      - *2. Priſca fide.*
      - *3. Fortitudine*
        - *1. ab inſtrumentali dextera invicta.*
        - *2. ab objecto: nullus hoſtis ei elaberetur.*
        - *3. à ſubjecto, pugna*
          - *1. pedeſtri.*
          - *2. equeſtri.*
- *V. Clauſula, ubi*
  - *1. repetitio per Exclamat.*
    - *1. à miſerabili ætate.*
    - *2. ab inevitabili neceſſitate.*
    - *3. à nominis gravitate & ſuavitate.*
  - *2. motus fit exhortando ad perſolvenda juſta*
    - *1. ab inſtrumentali, in ſparſis tumulo*
      - *1. liliis.*
      - *2. roſis.*
    - *2. à finali, in honorem animæ extremū.*
    - *3. ab effecto, munere nihil profuturo defuncto.*

*[a] Sic totâ paſſim regione vagantru*
*[b] Aëris in campis latis, atque omnia luſtrant.*
*[c] Quæ poſtquam Anchiſes natum per ſingula duxit,*
*[d] Incenditque animum [e] famæ venientis amore:*
*Exin bella [f] viro memorat, quæ deinde gerenda:*
*[g] Laurentesque docet populos, [h] urbemque Latini:*
*Et [i] quo quenque modo [k] fugiatque feratque laborem.*
Sunt geminæ [l] ſomnî portæ: *quarum altera fertur*
*[m] Cornea, qua veris facilis datur exitus umbris:*
*Altera candenti perfecta nitens [n] elephanto,*
*Sed falſa ad [o] cœlum mittunt inſomnia manes?*
*His ubi tum natum Anchiſes unaque Sibyllam,*
*Proſequitur dictis, [p] portaque emittit eburna:*
*[q] Ille viam [r] ſecat ad naves, ſociosque reviſit.*
*Tum ſe ad [s] Cajetæ recto fert littore portum.*
*c Anhora de prora jacitur, ſtant littore puppes.*

a) Redit ad narrationem, unde digreſſus erat.
b) Quia tota illa plaga corporibus carens, corũ vice animas & umbras aërias habebat, aëre vacuo diffuſa.
c) Anaſtrophe, i. e. per quæ ſingula.
d) Metaph. remota. Maximarum enim rerum recordatione viri fortis & generoſi animus ad virtutem acuitur & inflammatur, non ſecus ac ſubjecto igne lignorum ſtrues.
e) Futuræ gloriæ deſiderio.
f) Filio Æneæ.
g) Laurentum, Latii oppidum, indicat incolentes, quidque cum iis ſit tractaturus.
h) Regia Latini, Laurentum.
i) Tmeſis, pro Quomodo quemq; laborem perferat.
k) Polyſyndeton, & Hyſteron Proteron. Prius enim eſt ſcire, quæ pericula ſint vitanda ac fugienda; proximum forti animo quamvis perferre fortunam.
l) Somnii.
m) Per portam corneam ſynecdochicè accipiunt oculos nonnulli, quòd prima oculorum tunicula planè corneæ formæ ſit, tum etiam cornu perſpicuum & pellucidum; unde mythologicè corneam portam abſolutam rerum veritatem inducere ajunt; quòd quæ videntur, fidem magis, quàm quæ audiuntur, mereri conſtet.
n) Synecdoche, pro Ebore, parte Elephantis. Intelligit autem Poëta os, atque dentes eboris materiam & colorem præ ſe ferentes; unde quæ dicuntur, vana, obſcura, incerta & confuſa plerumque ſunt, In ſumma, Eburneam portam mendacia & fallacias interpretantur; Corneam verò, quâ rei veritas patefiat.
o) In mundum; nam inferorum comparatione, qui terram incolunt, Superi interdum dicuntur.
p) Obſcure & Symbolicè indicat Poëta, omnia ea, quæ de deſcenſu Æneæ ad inferos cecinerit, eſſe falſa atque vana inſomnia. Nec tamen exiſtimandum eſt, Poëtam hoc ipſo ſuum opus dehoneſtare voluiſſe, verùm artificioſiſſimo hoc commento ſecretiorem Pythagoræ & Platonis Philoſophiam prodere, & Romanam hiſtoriam ab Ænea uſque ad Auguſtum, quanquam converſo ſubinde ordine perſtringere.
q) Æneas, nulla mentione facta Sibyllæ, quò evaſerit.
r) Pro profiſciſcitur. Metaphora.
s) A Cajeta Æneæ nutrice dicta eſt illa urbs, quæ ibi defuncta & ſepulta.

*Apoporia ab inferis conſtat*

- I. Tranſitione
  - 1. *Factorum; quæ ſunt*
    - 1. *pervagatio Elyſii.*
    - 2. *perluſtratio omnium.*
    - 3. *perductio Anchiſæ.*
  - 2. *Dictorum, quorum*
    - 1. *Propoſitio: Anchiſes Æneam inflammat futura laude.*
    - 2. *Diſtributio continet*
      - 1. *ſeriem Fatorum, videl.*
        - 1. *Bella.*
        - 2. *Hoſtes Laurentes.*
        - 3. *Vrbem regiam Latini.*
      - 2. *modum fugiendi & ferendi mala.*
- II. Subjecto termino à quo, *per Topotheſian* Portarum Somnii, *quarum*
  - 1. *una*
    - 1. *à materia cornea.*
    - 2. *ab uſu ſeu fine, per quam exeunt ſomnia vera.*
  - 2. *altera*
    - 1. *à materia eburnea.*
    - 2. *à fine ſeu uſu, per quam exeunt ſomnia falſa.*
- III. Actu, *cujus*
  - 1. *Cauſa eſt Anchiſæ comitantis emiſſio.*
  - 2. *Terminus*
    - 1. *per quem, per portam eburnam.*
    - 2. *ad quem, ad claſſem & ſocios.*
- IV. Eventu, *qui eſt*
  - 1. *ad portum Cajetanum enavigatio.*
  - 2. *exoptata appulſio, à ſignis,*
    - 1. *jacta anchora de prora.*
    - 2. *applicatis ad littus puppibus.*

## Gratulatio ſerius exhibita.

*DIvini divina Viri tractâſſe Maronis*
*Scripta juvat multos, & docuiſſe diu;*
*Nec tamen, incultæ ſublimem Æneida pubi*
*Tot radiis ſcriptam qui ederet, ullus erat.*
*Sed quod complures optârunt, præſtitit Auctor*
*Hoc opere eximio, quo Duce, tecta patent.*
*Abdita verborum Methodo hâc dum clauſtra recludit,*
*Omnibus heic prodeſt, diſcere qui cupiunt.*
*Plurima poſteritas tanto pro munere debet*
*Vota, preces, ſemper Nomen honorificum.*

Auctori devenerando

*ex animo ſic applaudit*

Georgius Mack Gymn. Hal.
Quartæ Claſſis Præceptor.

# F I N I S.

## Feſtinato labori condonabis, L. B. hæc, & ſi qua alia deprehenderis Errata:

### LIB. I.

):( *col.* 3. *lin* 4. *pro* ſubeo, *lege* jubeo.
*col.* 4. *lin.* 20. Scribebam.
):( ):( *col.* 7. *lin.* 40. monſtroſas.
*col.* 8. *lin.* 29. occaſuum.

In Notis.

*Tab.* 8. *lin.* 8. & 9. *lege* tem- peſtatis.
T. 10. *lin.* 29. Ante- noris.
21. *lin antepenult.* altera.
28. *lin.* 8. faciat.

In Textu.

):( *col.* 4. *lin.* 9. *lege* Conſilio.
6. *lin.* 4. iniquæ.
8. *lin.* 7. *dele* In.
*Tab.* 2. *lin.* 9. verteret.
4. *lin* 2. tempeſtates.
*lin.* 5. Æolus.
10. *lin. ult.* Gyan.
24. *l.* 27. Scindit.

In Tabellis.

*Tab.* 14. *lin.* 24. vidi.
16. *lin.* 2. originis.
*lin. penult.* Veneris interlo- quio.
17. *lin.* 30. exploraret.
30 *lin.* 1. à fine.
31. *lin.* 15. à fine.

### LIB. II.

In Notis.

*Tab.* 4. *lin.* 24. *lege* effoſſo.
12. *lin.* 22. exuſſiſſet.
*lin.* 5. *ante fin.* deſtinatarū.
26. *lin.* 18. Ad.
29. *lin.* 3. & 4. advol- vunt.
30. *lin.* 16. ferreorum.

In Textu.

):( *col.* 4. *lin.* 15. accurriſſe.
*lin.* 24. *poſt* ceſſiſſe: Ita ſecum uxore, patre, filio parvulo egreſſum, uxorem in itinere amiſiſſe.
*col.* 5. *lin.* 15. obſidione.
*it.* octingenta.
*col.* 8. *lin.* 1. conticuere.
*lin.* 24. provecti.
*Tab.* 4. *lin.* 2. inquit.
5. *lin.* 2. Pelaſgæ.
11. *lin.* 3. fuſi.
14. *lin.* 22. Ripheus.
17. *lin penult.* Pelias.
22. *lin.* 1. Polites.
25. *lin. penult.* omnes.
30. *lin.* 2. evaſiſſe.
32. *lin.* 11. Ad.
*lin.* 12 opima.

In Tabellis.

*Tab.* 22. *lin.* 1. Politis.
29. *membr.* 2. *Forma, &c. poſt* plena, *adde* quæ.
31. *lin.* 25. erepta.

### LIB. III.

In Notis.

*Tab.* 1. *lin.* 5. *à fin. lege Æneadas.*
3. *lin.* 25. ſam narrationem.
4. *à fin.* Regis victoris.
8. *lin. penult.* novam.
9. *lin.* 33. linguâ Italicâ.
*lin.* 41. alluſiſſe.
42. retrimenta.
10. *lin.* 5. fœmininum.
17. *lin.* 39. Bellua marina.
19. *li.* 2. auguribus inaugurata
2. *lin.* 5. *ante fin.* legere.
25. *lin.* 10. temerè uſurpetur
27. *l.* 6. *à fin.* Carbaſa ex linteis
29. *lin.* 11. in Sicilia.
*lin.* 21. ductum.

In Textu.

*Tab.* 2. *lin.* 8. *dele* . *poſt* horror
*lin.* 12. *lege* Ater.
9. *lin* 16. moveret ?
10. *lin.* 2. boum.
*lin* 13. ariſque.
11. *lin.* 21 prohibete.
20. *lin.* 2. Epirotas.
27. *lin.* 21. *poſt* retrò, *adde* ;

In Tabellis.

*Tab.* 1. *lin.* 11. incertitudine.
6. *memb.* 2. Terminus.
24. *ſub fin.* erigentis.

### LIB. IV.

In Notis.

):( *col.* 8. *lin. antepen. lege* conſilio.
*Tab.* 3. *lin.* 5. θεσμοφόρῳ.
*lin. antepen.* Metaphora.
*lin. penult.* conſederant.
5. *lin.* 35. inveſtigandis.
9. *lin.* 25. Bacchus.
18. *lin.* 29. inclementiam.
19. *lin.* 22. frondibus.
23. *lin.* 15. Feſtinus.

In Textu.

):( *col.* 4. *lin.* 5. multa.
8. *lin.* 18. pertæſum.
*lin. penult.* habeat.
*Tab.* 2. *lin.* 2. noris.
7. *lin.* 7. jamque hos.
10. *lin.* 2. Zephyros.
16. *lin.* 20. pete.
*lin.* 28. ſeque ex.
17. *lin.* 13. grandia.
19. *lin.* 3. volvuntur.
26. *verſ. ult.* omina.

In Tabellis.

*Tab.* 2. *lin.* 15. bellicoſos.
3. *ſub fin.* omiſſorum.
*lin. ult.* machinarum.
22. *lin.* 10. Antapodoſin.
23. *lin.* 8. periculorum.

### LIB. V.

In Notis.

*Tab.* 11. *lin.* 10. Synecdoche.
16. *lin.* 5. verbis.
19. *lin.* 41. verſantem.
*lin.* 43. fractum.
*lin.* 47. Monoſyllaba.
*it.* inanimantium.
*lin.* 48. nox.
*lin. antepen.* Gladiatores.
23. *lin.* 32. torquis.
34. *lin* 20. cuperem.
36. *lin.* 31. loca.

In

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-356869-p0099-5

In Textu.

)( *col.* 6. *lin.* 22. Siculas.
*Tab.* 9. *lin.* 3. exterrita.
24. *lin.* 6. tela.
26. *lin.* 11. dicentur.
34. *lin.* 27. tenent.

In Tabellis.

*Tab.* 19. *lin.* 8. finitio.
20. *lin.* 17. Apoſtrophen.
32. *in princ.* Comitantia.

## LIB. VI.

In Notis.

*Tab.* 6. *lin.* 1. *pro* cæpit, cœpit.
8. *lin.* 19. Martem.
*lin.* 46. abſumpſerant.
9. *lin.* 33. accommodatus.
10 *lin.* 5. ſubjectio.
*lin.* 18. uxor.
11. *lin. ult.* propriè.
12. *lin.* 1. *dele alterum* ſe,
16. *lin.* 15. Sicilia.
20. *lin.* 5. efferebantur.
22. *lin.* 29. nothus.
26. *lin.* 24. virtutem.
30. *lin.* 23. ſtatuunt.
*lin.* 31. tempora.
35. *lin* 23. finit.
36. *lin.* 11. cælata.
37. *lin.* 24. eundem.
41. *lin.* 39. Feretrio.
*lin.* 44. ad.
*lin. penult.* imperio parentibus parcere.

In Textu.

*Tab.* 2. *lin.* 4. gelidas.
7. *lin.* 7. *poſt* labor, *adde* eſt.
8. *lin.* 5. ſeſe.
13. *lin* 13. variarum.
14. *lin.* 4. horrendus.
*lin.* 20. tendebant.
18 *lin.* 11 emotæ.
19. *lin.* 15. Dominam.
22. *lin.* 1. jamque.
23. *lin.* 1. atque.
26 *lin.* 6. virûm.
27. *lin.* 8. apud.
29. *lin.* 16. fixit.
31. *lin.* 16. Pæana.
*lin.* 24. vittâ.
36. *lin.* 10. tenet.
37. *lin.* 2. Aſſaraci.
*lin.* 3 vertice.
43. *lin.* 4. Romana.
44. *lin* 16. anchora.

In Tabellis.

*Tab. gen.* *lin.* 5. Sibyllæ.
*lin.* 13. trajectio.
*Tab.* 4. *lin* 22. parcant.
7. *lin.* 18. & 23. Proſerpina.
8. *lin.* 20. immerſio.
13. *lin* 1. degreſſio.
14. *lin.* 29. affectu.
15. *lin.* 15. proſopographia.
16. *lin.* 1. affectu.
21. *lin.* 7. affectu.
23. *lin.* 24. potui.
24. *lin.* 29. Ætiologia.
28. *lin.* 18. *adde* 4. ab effecto, præcipitem dedit.
*lin.* 26 Tityi.
32. *lin.* 23. Hodegia.
34. *lin.* 9 *adde* 4 ab adjuncto ſtrepitu ſive bombo.

### Bericht an den Buchbinder.

Der halbe Bogen/ worauf der Kupffer-Titul und Land-Charta gedruckt/ ſoll umb den erſten Bogen geſchlagen und gehefftet werden/ alſo/ daß der Kupffer-Titul vor dem Haupt-Titul her: die Land-Charta aber zu end deß Bogens komme. Das dritte Kupffer aber ſoll gegen den Titul deß Sechſten Buchs über/ gehefftet werden.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-356869-p0101-7

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-356869-p0102-3

71 B 1/8

ULB Halle 3
005 129 184

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-356869-p0103-9

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-356869-p0104-4

6

# ENTRUM

# IANÆ ÆNEIDOS.

*ſive*

yſis Libri Sexti Æneidos,

SUM ÆNEÆ AD IN-

BYLLA CUMÆA DUCE

confectum,

*monſtrorum formis, & animarum umbris,*

*Notis & tabulari methodo,*

onſtrans & adumbrans.

ΠΡΑΓΜΑΤΕΙΑ

*olis Chriſtianis, nec Virgilij ſtudioſis*

*indigna:*

o vocum emphaſes, phraſium criſes,
o & diſpoſitio, pleniùs intelligi, ſingulisque mem-
s, etiam geometrica proportione dimidia-
ùs & colligi memoriter, & ordine
recitari poſſunt.

*Opera*

*EPHI SEIZII, p. t. Rect. Gymnaſii*
*Patrii Svevo-Halenſis.*

HALÆ SVEVORUM,
noris, excud. typis Johan-Reinhardus Laidig
no Æræ Chriſtianæ MDCLVI.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-356869-p0105-0